



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes De Actibus Humanis

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716

Dissertatio IV. De peccatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39981



DISSERTATIO IV.

De Peccatis.

ARTICULUS I.

De Peccato Originali, & ejus effectu.

679. **O**Mne peccatum est, aut originale, aut personale. Originale est illud, quod omnes ab Adamo descendentes in illo utcapite comissimus violando præceptum divinum prohibens illi esum pomi. Pro hujus clariore notitia notandum, quod Adam duplicem gesserit personam: unam particularem, seu suam (sic consideratus peccando nocuit solum sibi, peccatumque ab eo ut tali commissum est personale, id est, maculans suam duntaxat personam) alteram publicam, seu morale caput posteritatis à DEO constitutum, cujus voluntati alligavit posterorum voluntates relatè ad præfati præcepti observantiam cum promissione, quod si impleverit illud, omnes posteri sint concipiendi in justitia originali, seu simili, qualem ille habuit, si autem violaverit, omnes in sua conceptione in peccati poenam gratiâ istâ sint privandi: nam post transfusas posterorum voluntates in vo-

luntatem Adami, singuli posteri, dum Adam physicè peccavit moraliter, id est, in æstimatione humana censeatur illud ipsum peccatum commisisse in illo, idcirco illud peccatum physicè unicum, singulis inest proprium, ac singulos denominat inimicos, ac peccatores prout definivit Trid. *S. 5. de Peccato originali c. 3. ex 5. ad Rom. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Quomodo autem fieri potuerit, ut post transfusas posterorum voluntates in voluntatem Adami peccatum huus posteris etiam imputaretur optimè explicat Soarez *1. 2. D. 9. S. 2. a num. 28.* à simili: quisque homo sui juris potest suam voluntatem in alium transferre in suis negotijs e. g. contractibus, ut quod ille statuerit in commisso negotio, id ipsum se velle profiteretur, hoc casu moraliter totum nego.

negotium imputatur huic, postquam ab altero est gestum, et si forte tunc ipse dormiat.

Unde peccatum originale sic potest defini cum Rhodes hic *D. 4. q. 2. S. 2. §. 3.* Lug. de pœnit. *D. 7. num. 98.* & alijs contra Vasq. *1. 2. D. 132. c. 2.* quod sit ipsummet peccatum actuale Adami violantis præceptum prout moraliter, ac interpretative fuit peccatum nostrum, sive macula denominans vos iræ filios, non prout fuerat peccatum ipsius tanquam personæ particularis, sed ut erat peccatum ejusdem ut personæ publicæ, ac capitis moralis nostri, taliter peccatum ab eo commissum fuit peccatum etiam moraliter nostrum; nec ut tale, sed ut fuerat præcisè personale, est deletum per Adæ pœnitentiam, ad hoc enim fuisset necesse pariter nostras voluntates transfundere in voluntatem Adæ ut pœnitentis, quod non esse factum constat, aliàs non conciperemur originaliter peccatores.

Peccatum originale potest considerari, vel relate ad primum instans peccantis Adami, vel ad sequentia; si ad primum, dicitur originale actuale; proinde originale originans; si ad sequentia, dicitur originale originatum, seu habituale: sub hac consideratione posteris, sub prima soli Adamo physicè, nobis vero pro primo instanti conceptionis actualiter moraliter intelligitur absolutè inesse; pro instantibus vero sequentibus intelligitur inesse habitualiter, nam primo instanti conceptionis purificatur conditio, sub qua nobis inest solum conditionatè, nostræ enim voluntates in voluntatem Adæ fuerunt transfusa sub hac conditio-

ne, si viâ ordinariâ ex eo nasceremur; quæ conditio purificatur per existentiam nostram absolutam in primo instanti; ergo in hoc existit actualiter in nobis, in secundo, ac in reliquis habitualiter.

680. Quæres 1. quæ sint causæ peccati originalis. Respondeo primo id nullam habere proprie causam finalem, cum non sit per se intentum.

Respondeo secundo causam formalem intrinsecam esse ipsam ejus quidditatem.

Respondeo tertio causam immediatè subjectivam, sive receptivam, esse voluntatem omnis hominis seminaliter descendens ab Adamo vitiatò exceptâ Beatissimâ Virgine Mariâ.

Respondeo quarto causam effectivam physicam originalis prout hoc inest nobis nullam dari, nec egere illa: quia prout nobis inest de præseni, nullam importat entitatem physicam, sed perseverantiam duntaxat moralem indistinctam à carentia condonationis divinæ, & condignæ satisfactionis nobis applicatæ, in recto autem dicit ipsam entitatem physicam præteritam actualis peccati Adæ, cujus causa physica fuit voluntas Adami, moraliter vero effectiva fuit voluntas posterorum prout contenta in voluntate Adami.

Verum quia nunquam in nobis fuisset peccatum originale sine peccato actuali Adæ, idcirco de fide est, quod peccatum personale ipsius, quo violavit præceptum de non comedendo fructu ligni scientiæ, sit causa immediata effectiva originalis in nobis juxta allegatum Pauli textum non physica, cum illud physicè non sit, quando in singulis inci-

pit originale, sed moralis, videlicet causans per modum demeriti, quod clarissime patet in sententia eorum, qui originalis malitiam ponunt in privatione gratiæ originalis, hæc enim intuitu illius inducitur, in mea vero, ac communi aliorum sententia negatio condonationis, ac satisfactionis condignæ pari modo efficientiæ morali dependet ab eodem peccato personali Adæ, hoc enim cum carentia satisfactionis est radix, & causa moralis juris non condonandi peccatum.

681. Hinc querenti, ac objicienti Juliano, per quam rimam ingrediatur ad nos peccatum originale, recte respondit Aug. *Lib. de nupt. c. 28. quid queris latentem rimam, cum habeas apertissimam jannam: per unum hominem peccatum intravit in mundum: quasi diceret, præter hanc non oportet aliquam querere causam per se hujus peccati.*

Unde nec Eva, nec immediati nostri parentes sunt causa originalis, aliàs non per unum hominem, sed per plures peccatum originale intrasset. Quocirca ex actione seminis, inquit, Soarez solum fit, ut homo ex Adamo nascatur, quod naturale est, ex quo, supposito jam peccato Adæ, & pacto cum eodem sine alia efficientia physica, fit, ut hic homo concipiatur aversus à DEO voluntate non propriâ, sed alienâ, nempe sui capitis.

Pariter hinc colligitur, quomodo ex justis parentibus filius peccator generetur, quia non generatur ab illis ut justis, sed ut sunt filij Adæ.

Rursus patet, quomodo anima statim maculetur, esto creetur à Solo

DEO, quia non creatur, nisi, ut sit pars hominis, idcirco simul creatur, & unitur, proinde eodem instanti coalescit totus homo, qui cum verè generetur ac producat ex Adæ semine, eodem momento comprehenditur sub lege illa universali transfusionis, & contrahit maculam originalem.

682. Tandem erroris convincitur Jansenius docens, quod vera, & unica causa traductionis, seu transfusionis primi peccati in omnes non sit peccatum Adæ supposito DEI pacto & generatione ordinariâ, ut Catholica fides tenet, sed sola libido, & concupiscentia carnis, seu carnalis delectatio, quæ inest parentibus, dum gignimur physice, ac necessario traducit peccatum Adæ, unde si quis, inquit, miraculosè generaret sine voluptate, proles sic suscepta non foret originaliter infecta.

Convincitur, inquam, primo, quod Paulus causam hujus transfusionis ponat unice in hoc, quod omnes in Adam peccaverimus, non autem, quod cum delectatione geniti simus. secundo carnalis delectatio cum sit corporea, nequit imprimere peccatum animæ.

Dum S. August. docet per concupiscentiam in nos traduci peccatum, vult solum, quod illa sit signum à posteriori hujus peccati, intelligit enim nomine concupiscentiæ generationem (quæ de ordinaria lege habet annexam carnis libidinem) sine qua velut conditione nullum esset peccatum, aut ut notat Becanus significat tantum, quod causa peccati originalis non sit sola generatio, sed generatio ex natura corrupta (corruptio autem naturæ, quatenus causatur per peccata

per-

personalia, aliud nequit significare ait Rhodes *hic* D. 3. in principio, quam quod peccatum diminuat inclinationem ad virtutem, & augeat inclinationem ad malum.

Corruptio autem naturæ causata per originale juxta eundem D. 4. q. 2. s. 2. §. 2. non est amissio ullius perfectionis naturalis, nec additio ullius malignæ qualitatis effectæ à peccato, sed privatio justitiæ originalis, quæ justitiæ præter gratiam sanctificantem incluserat plura alia dona (quibus impediatur rebellio appetitûs sensitivi) e. g. externam DEI perfectionem, aliâque auxilia efficacissima, quibus totus ille libidinis Ardor mitigabatur, mors, error, tristitia, dolor arceatur, & secundum multos etiam incluserat immunitatem à peccato veniali, quia huic correspondet aliqua pœna, ergo cum fuissent liberi ab omni pœna, etiam immunis fuissent à culpa levi, cujus signum est ardor libidinis sæpe rationi contrarius, qualis non fuisset Adamo non peccante.

683. Quæres secundò quis sit effectus, ac pœna peccati originalis in vita præfenti. Respondeo esse privationem gratiæ originalis, id est, gratiæ sanctificantis: habituum infusorum, ac cæterorum donorum: de quibus numero præcedente, quibus homo reddebatur subiectus DEO, & rationi.

Unde sunt quatuor illa vulnera (de quibus *num.* 482. & *sequenti*) inflicta quatuor hominis potentijs, nempe intellectui, voluntati, appetitui sensitivo concupiscibili & irascibili.

Vulnus in intellectu est ignorantia tum negativa, seu nescientia innumerorum, quæ innocentes scivissemus, tum positiva, seu error oppositus veritati. Secundum vulnus est malitia corrumpens

voluntatem, dum fræno gratiæ destituta hæret in infimis, torpet ad superna, & inclinat ad amorem sensibilem contra rectam rationem. Tertium vulnus in appetitu sensitivo concupiscibili est concupiscentia malorum omnium incentrix, ac bonorum corruptrix, proprie fomes peccati dicitur situs in appetitu sensibilem rationem præveniente eique rebelante, videlicet non expectando ejus imperium, nec ejusdem imperio obsequendo. Quartum vulnus in appetitu irascibili est infirmitas fortitudinis opposita ad vitandas tentationes, ac ad aggrediendum bonum arduum, quod est objectum fortitudinis.

684. Quæres tertio quæ sit pœna parvulorum in originali decedentium, & quo in loco eam patiantur. Ad primum & secundum plures tum PP. tum Scholastici teste Josepho Requesenio *in opusculis Theologicis Opusc. 1. S. 1.* affirmant eos torqueri etiam pœna sensûs in inferno, eosque sequitur Henricus de Noris *in Vindicijs Augustin. c. 3. §. 5.*

Respondeo ad primum esse de fide eos puniri pœnâ æternâ damni contra Pelagium assignantem eis beatitudinem æternam, sed extra Regnum Cælorum, & contra Calvinum fingentem parvulos adhuc intra uterum fidelium existentes sanctificari per fidem parentum contra scripturam: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. non potest introire in Regnum DEI.* Ratio quod decedentes sine gratia non habeant jus ad hæreditatem parvuli non baptizati decedunt sine gratia, hæc enim privat eos originale, uti definit *cit.* Trid. ergo cum æterna sit carentia gratiæ, etiam est æterna carentia juris

juris ad hereditatem, seu visionem beatificam, cujus privatio vocatur poena damni.

Respondeo secundò ad primum cum communiore, ac veriore sententia eos non puniri poenâ sensûs, ita Requesen. *num. 8.* poena enim sensibilis parvulorum nullibi statuitur in sacra scriptura, quoties enim loquitur de gehenna, & cruciatibus inferni, toties hos conjungit pravis operibus personalibus. Ratio est quod poena sensûs nullus sit punibilis, nisi sit dignus reprehensione, tales non sunt parvuli propter originale, cum id nequeant retractare per dolorem proprium; quomodo enim propriâ voluntate retractabunt, quod non nisi voluntate alienâ est commissum hæcque solâ, & non propriâ vitari poterat. Hinc est vera Theologorum conclusio adultum non baptizatum sine commissio personali non posse elicere formalem contritionem deletivam originalis.

Unde et si parvuli sint adfuturi iudicio universali, ac audituri, *ite maledicti in ignem aeternum*, eos tamen hæc sententia utpote restricta ad sola personalia non concernet, prout colligitur ex causali à Christo allata *Matth. 25. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare.* Nec patientur tristitiam ob amissam beatitudinem, quia ait Soarez cum S. Th. parvuli nihil cognoscent de beatitudine supernaturali saltem ut sibi debita, & ideo ejus carentia illos non affligit, vel si noscunt sibi debitam fuisse, sciunt, quod suâ culpâ jaeturam ejus non fecerint, idcirco acquiescent dispositioni divinæ.

685, Respondeo ad secundum: eorum locum esse tertium inter infernum, & Regnum Cælorum expressum in scri-

ptura per dextram, & sinistram, per Regnum, & gehennam, per resurrectionem vitæ, & Judicij, hæc enim duo loca sunt assignata à Christo pro solis adultis.

Igitur pro parvulis non baptizatis debet esse tertius locus, quin per hoc consentiamus Pelagio; hic enim cum docuerit parvos nasci sine originali, consequenter negavit eos mereri poenam, aut agere Baptismo, arceri tamen per Christum à Regno Cælorum, idcirco intulit pro his dari locum medium, in quo fruantur secundâ felicitate, quæ tamen sit inferior felicitate justorum: fatebatur tamen se nescire ubi locus ille sit: tres itaque hæreses à Concilijs damnatas admisit Pelagius, nempe quod negaverit in parvis Originale, quod non egent Baptismo, quod eis nulla debeatur poena, sed aeterna felicitas; has hæreses nostra opinio damnat. Quod conveniamus cum Pelagio de loco tertio, nihil refert, quia non est damnatus præcisè ob hunc locum tertium, sed ob admittam in illis felicitatem eorum innocentiae debitam, & diversam à cæteris justis baptizatis, cum tamen scriptura nullam agnoscat felicitatem extra felicitatem Regni Cælorum cunctis justis communem.

Fundamentum tertij loci pro parvis hiscè est, quod eorum locus secundum fidem non sit cælum; etiam non est infernus, quia hic est pro peccatoribus personalibus, sed limbus, hunc & infernum esse duo loca distincta est universalis Doctorum, & Ecclesiæ sensus, quemadmodum fuit distinctus limbus Vererum Patrum ante peractam Redemptionem, ita nunc datur pro pueris locus tertius distinctus à loco adultorum.

An

An post diem iudicij sint habituri alium tertium locum in quo vivant aliqui imperfectâ felicitate naturali vide cit. Requesen. S. 2. ubi negant Taner. Valent. Bellarmin. &c: damnantes oppositam sententiam temeritatis, erroris, vel hæresi proximæ. Verum ab hac censura plures insignes Theologi cum Less. lib. 13. de perfect. Divin. n. 44. 143. 144. & seq. absolvent, eamque erudite probat Requesen. à num. 54. & quidem in ea fuisse S. Th. in 2. dist. 33. qu. 2. art. 2. ad 5. ubi ait, *pueros non baptizatos esse separatos à DEO quantum ad conjunctionem, qua est per gloriam, non quantum ad conjunctionem naturalium bonorum, & ideo de DEO gaudebunt naturali cogitatione & dilectione*: Soarez 1. 2. D. 9. S. 6. num. 6. ita loquitur: *Erunt habituri cognitio-*

nem naturalem, & amorem DEI super omnia cum reliquis virtutibus: Salmeron D. 48. super cap. 5. Epist. ad Rom. resurgit inquit, pueri per Christum, & supra hunc ordinem naturalem, quo quotidie proficiunt in cognitione operum DEI, & substantiarum separatarum, visitationes habebunt Angelicas, & tanquam nostri rustici hanc terram incolent, & qui medij sunt inter gloriam, & supplicium, sint etiam medij in loco. Hæc sufficiat insinuasse, qui plura desiderat, adeat cit. Requesen. recte concludentem num. 53. hanc beatitudinem naturalem parvulorum non facere simpliciter, seu perfectè beatos beatitudine etiam naturali, quia eorum status non excludit miseriam peccati, ac positivam indignitatem ad recipienda supernaturalia bona.




ARTICVLVS. II.

Quid, & quotuplex sit peccatum personale.

686. **P**ersonale peccatum est, quod proprio cujusque arbitrio committitur. Dividitur in actuale, & habituale. In quo situm sit habituale relinquo Scholasticis, cum controversia non faciat ad praxim (sufficit

scire, quod sit macula moralis in anima post præteritum actuale perseverans, donec agatur pœnitentia de eo) proinde consideremus actualis naturam, ac multipliciter.

* * *



R. P. Karch, Diff.

T t t

§. I.



§. I.

Definitur peccatum actuale.

Peccatum sumitur vel materialiter, vel formaliter: malitiam materialis est illud prædicatum in mala operatione, propter, quod realiter operatio dissonat cum natura rationali ut tali, quæ dissonantia cum non percipiatur nisi per iudicium rationale, ideo multi malitiam materiale explicant per difformitatem cum tali iudicio. Formalis malitia est ipsa imputabilitas actus mali ad culpam.

In peccato actuali duo possunt reperiri. Primum est, quod sit recessus à regula; est autem humanæ voluntatis proxima regula objectiva ipsa natura rationalis ut talis, secus lex æterna positiva divina, aut recta ratio creata, quia tam hæc, quam illa est posterior materiali bonitate, vel malitiâ actus essentialiter boni, vel mali per *num.* 522.

Regula vero proxima formalis, seu *ut quo* est iudicium proponens actum naturæ rationali ut tali consonum, si sit bonus, aut dissonum, si sit malus.

Secundum est, quod sit aversio à DEO ut fine ultimo, & conversio ad creaturam, aversio convenit soli peccato mortali actuali: *Duo*, inquit S. Th. 3. p. q. 86. a. 4. in Corp. *sunt in peccato mortali, nempe aversio ab incommutabili bono, & conversio ad bonum commutabile.* Ex his autem duobus secundum S. Th. ad 1. aversio se habet de formali in pec-

cato mortali, quia est differentia faciens differre à veniali, in quo datur inordinata ad creaturam conversio sine aversione à DEO cum nullum peccatum veniale tollat conjunctionem cum DEO, quæ habetur per charitatem: conversio autem ad bonum creatum in mortali se habet sicut materiale. Ex aversione sequitur reatus pœnæ æternæ, meretur enim puniri æternum peccans in bonum æternum, ex conversione vero ad bonum creatum velut finitum sequitur duntaxat reatus pœnæ temporalis, ita S. Th. in Corp.

Dicta aversio sufficit virtualis, directæ enim, seu formalis, ac expressæ est rarissima, & non reperibilis, nisi in desperatissimis, hoc ipso enim, quod quis peccet mortaliter, scit mortale repugnare DEO, hoc eligendo, etsi non intendat explicite, & directe separationem à DEO, implicite se à DEO avertit.

Primum prædicatum peccati actualis, nempe quod sit recessus à regula proxima tam objectiva, quam formali est separabile à secundo, seu ab aversione à Deo, nam primû illud agnoverunt omnes Philosophi, posterius verò soli Theologi.

Et ideo communiter peccatum secundum philosophicam considerationem vocatur malum morale, secundum posteriorem verò dicitur malum Theologicum, id est, à Theologia considerati soli-

folitum. Utriusque quidditas hic inquitur.

687. Dico primò peccatum, ut est malum morale est actus liber disconveniens naturæ rationali, ut rationalis est, ita Rhodes hic *D. 1. quest. 1. S. 1. §. 1. Pal. tom. 1. tract. 2. D. 2. p. 4. num. 2.* probatur: in eo formaliter consistit peccatum generatim, ut est malum morale, per quod formaliter discordat cum regula immediata totius moralitatis, sed formaliter discordat cum ea per disconvenientiam cum natura rationali ut rationalis est, ergo. Minor probatur regula immediata objectiva totius moralitatis esse non potest lex æterna, seu divina positiva, nec recta ratio per *num. 686.* siquidem ea peccata, quæ essentialiter mala sunt ut mendacium, perjurium essent essentialiter mala, etsi DEUS non prohibuisset illa, nec ideo mala sunt, quia recta ratio iudicat esse mala, sed ideo recta ratio iudicat esse mala, quia sunt in se vere mala: ergo regula immediata totius moralitatis objectiva est sola natura rationalis ut talis.

688. Dico secundo, peccatum ut est malum Theologicum est libera præcepti divini transgressio, est communis cum *D. Th. 1. 2. qu. 71. art. 6.* Ratio,

quod hæc definitio omni, & soli peccato Theologico conveniat, nam hoc est, aut veniale, aut mortale: si primum est violatio libera præcepti divini leviter obligantis; si est mortale, est violatio perfecte libera præcepti divini graviter obligantis. Ergo ratio generica peccati Theologici est violatio præcepti divini præscindens à gravi & levi.

Hæc definitio est conformis definitioni *S. August. lib. 22. cap. 27. contra Faustum peccatum inquit, est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam:* quæ definitio completitur universa peccata oris, operis, & cordis, tam commissionis, quam omissionis, nam per *S. Th. ad 1. affectio, & negatio* reducuntur ad idem genus, proinde comprehenditur sub dicto etiam *non dictum, sub facto, non factum, sub concupito, non concupitum.*

Rursus omne peccatum, aut est internum, seu cordis ut volitiones, nolationes, desideria mala, talia indicat concupitum aut sunt oris, ut mendacia, detractio, blasphemia, &c. hæc importat generatim ly *dictum:* aut sunt externo opere consummata: hæc spectant

ad factum,

* * *





§. II.

Dividitur peccatum. Exponuntur peccata in Spiritum Sanctum, & clamantia in Cœlum.

689. **P**rimaria peccati divisio est in originale, & personale: & utrumque est subdivitum in habituale actuale. Originale est explicatum n. 679. Actuale personale est definitam, ac tam quoad esse materiale, quam formale declaratum num. 686. & seq.

Actuale multipliciter dividitur. Primo, penes materiale in peccatum commissionis, & omissionis: istud est violatio præcepti imperantis, seu affirmativi; illud est violatio præcepti prohibentis seu negativi.

Secundo, penes formale, seu reatum culpæ in mortale, & veniale.

Tertio, penes subjectum peccati in internum, & externum, seu in peccatum cordis, oris, & operis.

Quarto dividitur penes causam peccati in peccatum ex ignorantia, infirmitate, & ex certa malitia, hanc divisionem habes explanatam fusc à num. 190. ad 198.

Addo hic ex P. Paulo Segneri in Manna animæ die 11. Martij plures sibi blandiri quasi ex fragilitate peccant, dum re ipsa peccant per malitiam, quales sunt ij, qui studio excitant sensum rapientem ad malum, qui se citra necessitatem conjiciunt in occasiones periculosas, qui non custodiunt aures, nec oculos, per

quos species malorum illabuntur, ac deunt conventus irritantes tentationem.

690. Peccata ex malitia commissa sunt specialiter contra bonitatem DEI, quæ cum approprietur Spiritui S. ideo per appropriationem dicuntur peccata in Spiritum Sanctum: è contra peccata ex infirmitate inquit, D. Th. 2. 2. q. 14. art. 1. dicuntur fieri contra DEUM Patrem, quia ei appropriatur potentia, & quæ fiunt ex ignorantia dicuntur fieri contra Filium, quia huic appropriatur scientia.

Quare bene docet Layman lib. 2. tract. 2. cap. 2. num. 3. peccata in Spiritum Sanctum dici illa, quæ præcludunt ei aditum, siquidem directè impugnant bonitatem Spiritus Sancti, dum à seremovent media, aut dispositiones puta spem, timorem, & dolorem, sine quibus secundum legem ordinariam non fit peccatorum remissio, quæ est opus Spiritus Sancti, idcirco etiam dici solent irremissibilia, non quod simpliciter sint talia, sed quod difficilis, & rara sit eorum remissio, impugnant enim remedium, quo fit illorum remissio, ita S. Th. art. 3. in fin. Corp.

Ejusmodi genera peccatorum Theologi apud Cornel. à Lapide in cap. 12. Matth. sex numerant; finalem impænitentiam, obstinationem in malo, de-
spe-

spetationem, agnitæ veritatis impugnationem, fraternæ charitatis invidiam, præsumptionem, dum quis sine pœnitentia confidit se consecuturum peccatorum veniam: aut obtenturum suis meritis sine gratia DEI factis gloriam, & hæc est proprie spes peccati in Spiritum Sanctum, teste D. Th. art. 1. de qua Christus locutus est *Matth. 12.* cam non remitti nec in hoc, nec in futuro sæculo.

691. Vide S. Th. art. 2. ex Aug. defumentem sex præfatas species, ubi singulas exponit; homo enim absterretur à peccato ex consideratione divini iudicij, quod habet iustitiam cum misericordia; ex consideratione misericordiæ peccata remittentis, & pramiantis bona concipitur spes, hæc tollitur per desperationem oppositam spei per defectum. Ex consideratione iustitiæ divinæ peccata punientis oritur timor, hic tollitur per præsumptionem, quæ spei opponitur per excessum. Dona divina: quibus à peccato retrahimur sunt duo; unum est veritatis agnito, huic contrariatur impugnatione agnitæ veritatis, videlicet dum quis agnitam fidei veritatem impugnat, ut peccet licentius; alterum est auxilium interioris gratiæ, huic resistit invidentia fraternæ gratiæ, dum quis non solum invidet personæ fratris, sed etiam gratiæ DEI crescenti in mundo. Ex parte peccati duo sunt, quæ possunt retrahere hominem à peccato; quorum unum est turpitudinis actus, cuius consideratio movet ad pœnitentiam: contra hanc se opponit impœnitentia secundum quod hæc est propositum non pœnitendi, unde impœnitentia prout dicit propositum perseverandi in peccato usque ad mortem cum ani-

mo eam tunc agendi non est species peccati in Spiritum Sanctum, sed quædam peccati circumstantia. Alterum à peccato retrahens est consideratio, quam parvum, ac breve sit bonum, quod quis in peccato quarit, inde enim pendet, ne voluntas in malo firmetur; huic opponitur obstinatio, seu firmum propositum perseverandi in malo.

Dices odium DEI est gravissimum peccatum in Spiritum Sanctum, directè enim opponitur charitati DEI, per quam fit peccatorum remissio, ergo sunt plures peccatorum species in Spiritum Sanctum quam sex. Respondet S. Th. 2. 2. qu. 34. art. 2. ad 1. ideo non computari inter species peccati in Spiritum Sanctum, licet sit ex gravissimis contra Spiritum Sanctum, quia generaliter invenitur in singulis præfatis speciebus; vel dic cum Laym. cit. ideo non venire odium DEI in specificam aliorum communionem, quia cum sit omnium gravissimum, est aliorum peccatorum mensura, maximum enim in aliquo genere est mensura ceterorum.

692. Præter peccata in Spiritum S. dantur alia, quæ ob insignem, ac manifestam gravitatem divinam iram, ac ultionem provocant contra suos authores, dicuntur clamantia in Spiritum S. suntque ejusmodi quatuor; homicidium voluntarium: Sodomia, oppressio pauperum, & defraudata operariorum merces: quæ ideo S. Aug. in Enchirid. c. 80. appellat clamantia, quia ipsa S. Scrip. ea vocat clamorem, sic *Gen. 4. v. 10.* alloquitur DEUS Cainum homicidam Abelis: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me: de Sodomia Gen. 18. v. 20. Glamor Sodom-*

domorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est: de oppressione pauperum, Exod. 22. v. 23. Vidua, & pupillo non nocebitis, si laferitis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: de mercede defraudata Deut. 24. à v. 14. non negabis mercedem indigentis, sed reddes ei eadem die pretium laboris, ne clamet contra te ad dominum.

693. Quinto dividitur peccatum penes objectum, circa quod committitur, specialiter contra DEUM, proximum, & se ipsum. Omne peccatum generaliter est contra DEUM, specialiter autem id, quod opponitur virtutibus Theologicis, & Religioni ut blasphemia, Sacrilegium cum cæteris peccatis adversus primam tabulam. Contra proximum sunt ea, quæ opponuntur virtutibus ordinantibus hominem ad alterum, proinde peccata secundæ tabulæ opposita charitati proximi, & Justitiæ. Contra se

ipsum sunt peccata, quæ opponuntur temperantiæ, & reliquis virtutibus ordinatis ad ipsum operantem ut fortitudini &c. sexto dividitur in carnalia, & spiritualia ex 2. ad Cor. 7. *Emundemus nos ob omni inquinamento carnis, & Spiritus.* Hæc divisio dupliciter potest intelligi. Primo, quod carnalia sint circa objecta sensibilia, Spiritualia autem circa Spiritualia. Secundo, ut carnalia dicantur, quorum objectum est carnis delectatio, ut gula, ebrietas, luxuria, Spiritualia vero, quorum objectum est quid distinctum à delectatione Corporea, unde ex septem capitalibus in hac secunda acceptione duo solum sunt carnalia, luxuria, & gula, cætera quinque sunt Spiritualia; proinde in hoc sensu etiam furtum &c. est reponendum inter Spiritualia è contra juxta primam acceptionem est reponendum inter Carnalia.

* *
*



A R T I C V L V S II.

De Peccato Mortali, & Veniali.

§. I.

Quale sit discrimen inter mortale, & veniale.

694. **P**eccatum veniale tripliciter dici potest. Primo, ab eventu veniæ, quam defacto consequitur, hoc sensu omnia mortalia prædestinatorum, & multa reproborum possunt dici venialia. Secundo etsi mortale sit,

fit, quia tamen processit ex causa dimi-
nuente e. g. ex ignorantia, aut infirmi-
tate, tale enim aliquo modo censetur veni-
dignum, hoc sensu communiter intelli-
gitur illud 1. ad Timoth. 1. *Misericor-
diam consecutus sum, quia ignorans
feci.* Tertio, proprie dicitur, quod
quantum est ex se veniam non excludit,
nec amicitiam cum DEO resolvit, nec
punibile sit æternum, mortale vero est,
quod ex se veniam non meretur, sed pœ-
nam æternam. Procedit quæstio in hac
ultima acceptione.

Est de fide definita in Trid. S. 6. can.
25. contra Luther. & Calvin. non omnia
opera hominum esse perniciofa ad salu-
tem, aut inquinamenta ut scribit Calvin.
lib. 3. *Inst. c. 12. §. 4.* Contra hos pug-
nant omnia scripturæ loca, in quibus ope-
ribus justorum promittitur corona, mer-
ces, bravium ut *Matth. 25. vers. 53.*
&c.

Item est de fide non omnia peccata
hominum esse mortalia contra sectarios
inter se tamen discordes, de quibus con-
sule Adamum Burghaber *Theolog. Po-
lem. Controv. 61. n. 16.*

Fides ergo Catholica est quædam
esse peccata mortalia quædam venialia
juxta Trid. S. 6. can. 11. ex 1. ad Cor. 3.
vers. 15. ubi dicitur, quædam peccata
igne punienda, salvâ tamen æterna salu-
te: *Si cujus inquit opus arserit* (nempe
in judicio DEI) *detrimetum parietur,*
(id est punietur) *ipse vero salvus erit.*
Luc. 6. vers. 41. quædam peccata com-
parantur festucis, quæ sunt res levissimæ,
quædam trabi: & *Matth. 23. vers. 24.*
quædam culicibus, & quædam camelis:
& *Prov. 5. vers. 26. in die septies ca-*

dit justus: non mortaliter, ergo leviter:
unde de expiatione venialium loquitur
Christus *Matth. 5. vers. 2. non exies
inde, donec reddas usque ad ultimum
quadrantem.*

Hæc assertio est vera etiam de pec-
catis infidelium ex *Can. 7. cit. Trid.* dam-
nantis asserentes omnia opera ante justi-
ficationem vere esse peccata, & mereri
odium DEI.

Ratio etiam est, quod infidelibus
ob minus perfectam cognitionem minùs
imputentur ad culpam, quam fidelibus. Ac-
cedit Propositio 8. ab Alex. VIII. damnata:
*Necesse est infidelem in omni opere pec-
care.*

695. Certum etiam est nunc apud
Catholicos mortalia à venialibus distingui
ex natura rei contra Gerson. Almainum,
Bajum refundentes distinctionem in mi-
sericordiam DEI quædam peccata nolentis
punire æternum: unde est damnata à
Pio V. & Greg. XIII. propositio Baij ista:
*Nullum est peccatum ex natura sua
veniale, sed omne peccatum meretur
pœnam æternam.* Ratio, quod in hu-
manis amicitiam non dissolvat ex natura
rei quævis actio displicens, ergo nec in-
ter DEUM, & hominem. His pramif-
sis.

Dico differentiam peccati mortalis
à veniali sitam esse formaliter in hoc, quod
mortale sit perfecte libera transgressio
præcepti divini graviter obligantis forma-
liter, vel fundamentaliter, veniale vero
leviter obligantis, ita Arriaga 1. 2. D. 48.
S. 2. num. 8. dixi *formaliter, vel
fundamentaliter,* quia etsi defacto
omne peccatum etiam ex illis, quæ sunt
essentia-

essentialiter talia; sit formaliter prohibitorium, id tamen non esse essentialiter peccatum ut sic, siquidem quaedam mortalia sunt mortalia ante omnem legem DEI positivam simpliciter prohibentem, aut indicantem, seu judicatoriam, hujus nomine venit iudicium, quo DEUS, aut creatura enuntiat hunc actum esse malum, unde præsупponit malitiam in actu, eamque præsупpositam indicat, & ideo non est simpliciter lex inducens obligationem, sed est duntaxat lex *quo*, id est cognitio proponens difformitatem actus, quam habet cum natura rationali ut tali, quæ natura est lex naturalis per dicenda in *Dissert. de Legibus*. Dicta difformitas in actibus essentialiter malis e. g. in odio DEI, &c. antecedens tam legem prohibentem, quam judicantem ex se præbet fundamentum, ut prohibeatur formaliter, ideo etiam talis difformitas est contra legem DEI fundamentalem, cætera vero peccata, quæ non sunt intrinsicè talia, sunt contra legem DEI formalem.

Ratio nunc conclusionis est, quod per *num. 688*. peccatum ut sic Theologicè sit libera præcepti divini transgressio, ergo Theologicum mortale est transgressio perfectè libera præcepti divini formaliter, aut fundamentaliter obligantis graviter, veniale vero leviter obligantis.

696. Esparza mortale definit, quod sit aversio ab ultimo fine, aut quod sit gravis offensa DEI. Vasq. 1. 2. D. 143. *num. 6. c. 4.* ex S. Th. quod tollat ordinem ad ultimum finem, hoc est conjunctionem cum fine ultimo, illa autem sit vita animæ nostræ sita in gratia, & charitate, proinde tollat vitam animæ, ècon-

tra veniale tollat ordinem non necessarium, sed utilem, & congruum ad media conservato semper ordine ad finem. Tannerus post Vasq. *num. 10.* quod mortale constituat finem ultimum in creatura, secus veniale, hic etiam ponit *num. 11.* hanc differentiam, quod mortale mereatur pœnam æternam, veniale vero temporalem.

Verum nostra differentia est præferenda, quia restat danda ratio cur mortale sit aversio à fine ultimo? cur tollat ordinem ad eundem? cur mereatur pœnam æternam, melior autem non sit dabilis assignata à nobis.

Tanneri differentia, si velit, quod formaliter & expresse constituat finem ultimum non est verum, quia tamen secundum omnes Theologos contra Adriam. Quisque mortaliter peccans constituit in creatura suum finem ultimum, id subsistit dupliciter: primo interpretative, ac moraliter, id est, secundum æstimationem hominum perinde se gerit, ac si alium finem ultimum non haberet. Secundò æquivalenter, ac virtualiter, quia perverle amando creaturam præfert illam DEO, qui cum eminenter sit omnia, sequitur creaturam amatam præferri virtualiter omnibus creaturis alijs, dum ex amore creaturæ negligitur amicitia DEI, ita communis apud Præposit.

697. Quarit Pal. *to. 1. tr. 2. D. 2. p. 5. num. 2.* an veniale ad tempus mereatur privationem gloriæ, seu visionis divinæ. Aliqui negant, quia non meretur etiam ad tempus privationem gratiæ, in qua cum fundetur jus ad gloriæ, nequit mereri privationem gloriæ. Ipse affirmat cum alijs, quia quamdiu existit.

Venia-

Veniale est indignus gloriæ, ac punibilis pœnâ justâ, talis est privatio gloriæ ad tempus, aliàs injuste negaret DEUS gloriâ animabus in purgatorio.

Hæc opinio est præferenda. Argu-

mentum oppositæ solvitur, quod veniale mereatur dispositionem ad gratiæ privationem, hoc autem sufficit, ut puniatur carentiâ gloriæ non datæ, sed datæ ad tempus.



§. II.

Quotuplex sit mortale: de prærequisitis ad illud, & modo id dignoscendi.

698. **M**ortale est aliud ex genere suo, aliud ex accidente: hoc dicitur, dum actus ex genere suo levis, aut indifferens evadit mortalis ob circumstantiam accidentalem, de qua infra. Mortale ex genere est, quod ex proprio suo objecto sine malitia speciei alterius est tale, & huic congruit definitio adducta num. 695. Est autem duplex, unum est mortale ex solo præcepto positivo, qualia sunt omnia, quæ ideo sunt mortalia, quia sunt graviter prohibita lege positivâ divinâ, aut humanâ, ut violatio jejuniij, omissio missæ, &c. alterum, quod independentè à lege positiva ex malitia sua essentiali graviter dissonat cum natura rationali ut tali ut odium DEI, perjurium, &c.

Magis Theologicè potest mortale ex genere suo tale definiri cum Haunold. esse illud, cujus levis prohibitio non sufficit ad præcavenda damna, quæ sequerentur, si non esset graviter prohibita, sic pollutio, fornicatio, furtum &c. nisi essent graviter prohibita, homines non
R. P. Karch. Diss.

arcerentur ab eorum commissione. E-contrâ veniale ex genere est, ad quod cavendum sufficit levis prohibitio.

699. Quæres primo, quæ conditiones necessariae ad peccatum mortale ex genere suo tale. Respondeo ex consensu omnium tria requiri plenam advertentiam, consensum plenum, seu perfectum, ac materiam de se gravem. Ratio quod peccatum mortale graviter repugnet charitati divinæ, sed nequit graviter repugnare sine his tribus graviter repugnaret, vilesceret amicitia DEI, & practicè esset inæstimabilis, quia foret moraliter obtentu impossibilis, cum moraliter sit impossibile non habere semiplenam advertentiam, consensum imperfectum in materijs passim occurrentibus, ergo si quodvis objectum malum esset graviter prohibita, aut sufficeret imperfecta deliberatio, & consensus imperfectus, moraliter esset impossibilis amicitia cum DEO

Circa advertentiam constat ex num. 263. & seq. non sufficere interpretati-

tativam sitam in eo, quod quis teneatur advertere, etsi actu non advertat, sed esse necessariam actualem de malitia.

Dices cum Soarez 1. 2. D. 4. S. 3. si requiritur actualis, rudes vix unquam peccarent quia vix unquam se reflectunt super suas operationes, utrum sint honestæ, aut turpes. Respondeo negando sequelam; quia de peccatis ab ijs committi solitis facile illis incidit cogitatio dubia aut suspiciosa de malitia.

Ita actualis cognitio debet esse iudicativa per *num.* 529. eaque practica per *num.* 531. ad mortale non sufficit præscindens à gravitate, & levitate juxta probata à *num.* 535. nec satis est cognoscere, quod sit operatio prohibita, sed necesse est cognosci formaliter, aut æquivalenter, quod sit graviter vetita per *num.* 265. & 536.

700. An possit voluntas operari, & peccare dependenter à sola apprehensione seu cognitione sensitiva. Respondeo non posse peccare est recepta sententia apud, & cum Amico 1. 2. D. 5. *num.* 38. quia non potest voluntas peccare, nisi proponatur illi actus malitia, hæc proponi non potest per cognitionem sensitivam, siquidem hujus objectum est Solum bonum delectabile, aut malum sensibile indifferens ad bonum, honestum, & turpe.

An autem simpliciter possit operari cum sola ejusmodi cognitione est ambiguum. Negat apud eundem *num.* 22. communior cum Soarez, Vsq. ipse affirmat non quidem de sensitiva sensuum externorum, nec de sensitiva sensus communis, sed de sensitiva phantasiæ, seu æstimativæ, nam hæc tantum propter

immediatum nexum cum appetitu sensitivo habet vim representandi objectum sensibile sub ratione boni convenientis appetitui: igitur cum voluntatis objectum sit omne bonum etiam delectabile &c. istud intra spheram voluntatis constitutum potest allicere voluntatem ad sui amplexum, aut si sit molestum ad sui fugam, sic enim melius salvatur pugna continua inter partem inferiorem, & superiorem descripta ad *Rom.* 7. *Non enim quod volo, id est, quod judico bonum hæc facio, sed quod nolo malum hoc ago: nam objectum delectans* sensu æstimativo propositum allicit ex una parte, ex parte altera dissuadet idem objectum ratio, ex hac utrinque facta propositione acris fit pugna inter corpus, & animam. Obiter hoc indicasse sufficit, longior desuper controversia legi potest apud cit. Amic.

701. Alterum requisitum ad peccatum mortale est consensus plenus, de quo plena notia est data *num.* 538. & seq. nempe sufficere formalem tam absolutum, quam conditionatum, etiam negativum in assuetis peccare: item virtutem, sive in causa, dum est obligatio hanc vitandi; imò etiam inefficacem de objecto cogitato mortali.

Quibus autem indicijis valeamus discernere, utrum actus malus à nobis commissus processerit ex plena cognitione, ac consensu, ea attuli *num.* 540.

Supereft de tertio, requisito nempe de gravitate materiæ, unde ea desumerda. Respondeo primo, regulam universalem certiore non esse, quam prudens judicium virorum in quovis peccati genere formandum de materijs sumptis cum omnibus suis circumstantijs, sapienter
sunt

finè enim objectum de se leve ex circumstantiis sit grave præsertim ex fine à legislatore intento, ac ex proportione, & necessitate rei præceptæ, aut prohibitæ ad illum consequendum, dum hic est gravis, sic multiloquium de se est materia levis, at si minuat disciplinam Religiosam, & ideo vetetur, ejus violatio est mortalis: è contra auditio missæ in se est materia gravis, multumque conducens ad cultum DEI, & profectum spiritualement intentum à præcepto, idcirco die Festo omissio illius est mortalis, qualis non erit, si Respublica civibus aut universitas Scholasticis quotidie præcipiat sacro interesse, quia hujus auditio non videtur multum conferre ad bonam gubernationem intentam ut finem si semel, aut iterum omittatur, secus frequenter, Vasq. 1. 2. D. 158. n. 60.

Item est advertendum an plures partæ materiæ inter se moraliter continuentur, sic enim moraliter coalescunt in unam gravem sufficientem pro mortali, secus in morali æstimatione non fit continuatio, ut insinuavi *nn. 645.* Herinx D. 7. à n. 50.

Addo ad mortale non sufficit violari præceptum grave, sed debet esse violatio in notabili quantitate secundum omnes, leviter enim violari præceptum grave perinde est, ac transgredi leve, ut patet in furto, quod non est mortale, nisi sit quantitas notabilis ex se, aut ex circumstantiis, quænam autem sit quantitas notabilis in peccatis capacibus levitatis definiri debet in materiis singularum virtutum e. g. *in tr. de just.* quænam summa pro furto mortali, in cibo, &

potu quantus excessus sit necessarius, ut gula sit gravis contra temperantiam.

702. Respondeo secundo ex proxime dictis videtur esse Regula bona universalis sequens assignata à Rhodes hic D. 1. q. 3. S. 2. §. 2. Pal. p. 7. num. 4. Vasq. 1. 2. D. 158. c. 6. num. 59. & 60. Sanch. lib. 1. Moral. c. 4. num. 2. 3. & 6. quod gravitas, ac levitas materiæ sit desumenda secundum quod conducit ad finem per legem intentum, ac ex alijs pensatis circumstantiis: quod enim respectu unius est leve, potest respectu alterius esse grave; sic plebajum vocare mendacem est quid leve, mortale vero Religiosum, vel Prælatum: minima cibi, & potûs sumptio est gravis respectu præcepti servandi naturale jejunium ante Evcharistia sumptionem, levis vero respectu jejuniij Ecclesiastici: abstinentia à servilibus longo tempore e. g. ultra duas horas est gravis respectu cultûs divini intenti ut finis à Festorum institutione, levis si sit brevior; unde laborare infra duas horas, non videtur mortale, cum enim homo nequeat esse intentus divinis totâ die, labor tantillus non apparet graviter obesse cultui DEI, Herinx *num. 49.*

703. Regulam hanc aliqui apud Sanch. *num. 7.* restringunt volentes, si leges aliquid prohibent ex fine vitandi damnum, tunc ajunt gravitas materiæ pro mortali non est pensanda ex quantitate materiæ prohibita, sed ex magnitudine damni præcise, hinc eum, qui contra prohibitionem extra Provinciam extrahit e. g. triticum, etsi hujus quantitas sit secundum se magna, nisi tamen inde

Uuu 2

grave

grave damnum sequatur, negant peccare mortaliter. Eiusdem opinionis sunt apud Petrum Navarra *Lib. 3. de Rest. c. 1. p. 1. dub. 1. in nova Edit. nu. 33.* non agnoscentes fore mortalem acceptiorem centum argenteorum, aut eorum respectu ditissimi modicum damnum inde sentienti.

Econtra Sanch. *num. 8.* contendit sufficere quantitatem in se magnam, etsi ex una, alterave facta ab uno extractione Republica, aut civitas damnum magnum non patiat, probat primo quia non debet spectari qualitas damni secuturi ex unius contraventione, sed quale sequitur si à multis, & communiter fiat, & ideo ne passim fiat, id graviter punire multum interest.

704. Respondet ad hoc Pal. *n. 6.* licet finis prohibitionis sit vitatio damni, attamen Legis-Lator non intendit sub mortali vetare extractionem mercium factam ab uno Republica graviter non noxiam, etsi graviter noceret si à multis fieret, quia aliàs asportatio unius aurei, imò Drachmæ esset mortalis, si enim passim, sive à multis fieret, pateretur magnum damnum.

Probat Sanch. secundo in furto, in quo datur quantitas notabilis, quæ pro mortali, etsi accipiat illi, cui parum nocet, ut furari aureos centum à Rege, aut à diversis modicum à singulis; ergo non est attendendum damnum, sed ad quantitatem.

In hoc argumento negat Pal. non inferri grave damnum ditissimo per furtum grave: si fit diversis, tunc singulis non nocet graviter, ex jis tamen conflatur communitas, quæ per modum unius

damnificatur. Deinde etsi transmittetur non damnificari graviter dominium ex quantitate gravi de se e. g. decem aureorum, adhuc tamen furtum est mortale, quia reinetur alienum invito domino in gravi materia, quæ finis est immediatus hujus prohibitionis, secus damnum domini.

Probat Sanch. tertio, quia aliàs finis à Legis-Latore intentus fore: frustraneus, eò quod à nullo extrahatur copia tanta, quanta graviter obfit communitati.

Respondet Pal. culpâ extrahentis non frustrari finem legis, quia ex culpa ejus non nocet graviter communitati.

Propterea sustinenda est Regula alata, ac rejicienda limitati. Ratio est, quia finis intrinsecus prohibitionis adequatus, ne extrahantur e. g. merces, pecunia, &c. est evitatio gravis damni, ergo quamdiu non infertur grave damnum communitati, tamdiu non est peccatum mortale, aliàs asportatio quantitatis sufficientis ad mortale furtum foret mortalis ex principio Sancheziano quia si passim, & à multis asportaretur, damnum grave pateretur communitas.

In dubio, an finis præcepti sit gravis, resque præcepta gravi er ad illum conducatur, præsumenda est utriusque gravitas, quia nunquam, aut raro fertur præceptum sine gravi fine, nec de materia, nisi valde ad eum necessaria, Soarez *to. 5. in 3. p. D. 4. S. 6. num. 11. & Lib. 3. de Legib. c. 25. num. 4.* Sanch. *num. 3.* præsumptio autem stat pro communiter contingentibus.

705. Quæres secundo ex quibus capitibus possit cognosci materia, seu objecti

objecti gravitas, proinde mortalia ex genere suo à venialibus discerni Respondeo ex sequentibus primò ex scriptura, dum hæc appellat aliquod peccatum abominabile, vel morte dignum, vel quod excludat à Regno DEI: Vide 1. ad Cor. 6. ad Ephes. 5. ad Rom. 1. vers. 24. ad Galat. 5. vers. 19.

Secundo ex autoritate Ecclesiæ SS. PP. & communi consensu sapientum.

Tertiò si peccata repugnant virtutibus Theologicis, aut præceptis Decalogi, aut quinque præceptis Ecclesiæ.

Circa alias Sanctiones tam Canonicas, quam civiles difficilius est determinare, an eorum violatio sit mortalis.

Hac in re Soarez & Vasq. statuunt hanc Regulam, quod sit mortalis, quoties lex utitur verbis formaliter, vel æquivalenter præceptivis in materia gravi, quæ autem voces seu verba sint præceptiva, deciderunt in Dissert. de Legib. Hanc Regulam in civilibus legibus reprobant Arriag. de Legib. D. 16. num. 64. nisi materia gravis sit maximi momenti.


Bona etiam videtur Regula Haunoldi de jure tr. 1. c. 1. controu. 5. nu. 41. quod tunc lex quæcunque obliget sub peccato mortali, quando est in materia gravi multum conducente ad finem intentum à lege, ac Reipublicæ Felicitatem, Pacem, Justitiam, & Religionem, ita ut nisi graviter obliget, non sit Spes magna finem illum consequendi.

Ad hanc autem obligationem dividendam in Canonibus pœnarum com-

minatorijs debet attendi ad pœnas, si enim gravis pœna spiritualis ipso facto imponitur, aut incurrenda intentatur ut excommunicatio major, suspensio, interdictum, irregularitas ex delicto obliget sub mortali, ita communis contra paucos limitantes in aliquibus.

Probabilius est, & communius traditur cum Vasq. Soarez contra cit. Arriag. & alios Regulam datam procedere etiam in civilibus legibus aliquid sub verbis præceptivis, aut inhibitivis statuendis sub gravi pœna temporali e.g. capitis, mutilationis, confiscationis bonorum, amissionis notabilis summæ e.g. centum aut quinquaginta aureorum, privationis officij publici, &c.

Ad extremum priusquam Theologus pronuntiet hanc, aut illam actionem esse mortalem, meminerint aureæ propositionis D. Th. quodlib. 9. q. 7. Art. 15. Apud Gobat Theolog. Experim. Edit. ultim. tr. 3. num. 325. periculose, inquit, aliquid determinatur esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur: Et Gabriel in 4. dist. 15. Art. 2. in fin. Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones esse peccata mortalia. Vir doctissimus aq̄e ac Religiosissimus Th. Sanch. Lib. 6. Mor. c. 5. num. 5. ait: præcepta & culpas non oportet multiplicare absque rationibus urgentibus, & valde necessarijs utpote, quod res valde odiosa est.





ARTICVLVS IV.

De Peccatorum inæqualitate.

706. **D**E fide est non omnia peccata etiam mortalia esse inter se æqualia, ut patet ex illo Joan. 19. *qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Ratio est, quod peccati gravitas ex inæqualibus desumatur principijs, recessusque à virtutis linea non consistat in indivisibili, sed habeat latitudinem, potestque ab ea magis aut minus recedi pro majori, aut minori intensione cognitionis, &c.

Certum est, quod cæteris paribus peccata ex malitia sint graviora peccatis ex infirmitate propter majorem libertatem, uti etiam peccata ex infirmitate præponderant peccatis ex ignorantia, difficilius enim vincitur ignorantia, quam impulsus passionis. Vide S. Th. mox citandum à q. 76. juxta S. Th. 1. 2. q. 73. Art. 5. peccata carnis cæteris paribus sunt minus gravia spiritualibus, quod approbat Arriag. hic D. 45. n. 23. si nomine carnalium intelligantur peccata contra corporalia bona, quia hæc sunt inferiora spiritualibus bonis, quæ excluduntur à peccatis spiritualibus: unde gravius est alicui adimere honorem, quam pecuniam, secus, quam vitam, quia non sunt cætera paria: deberet enim fieri comparatio inter summum ex bonis

corporis, & inter summum ex bonis animæ, proinde inter vitam corporalem, & spiritualem, & tunc omnino gravius est tollere vitam alterius spiritualem, quam corporalem: *per se* inquam, quia dum alterum induco ad peccatum mortale, demo illi vitam Spiritus, sed cum in eius potestate sit non peccare, idcirco gravius pecco occidendo corporaliter, quam inducendo in peccatum, non enim sunt cætera paria, nam in occisi potestate non est pro libitu evitare mortem.

An carnalia sumpta etiam in secundo sensu *num. 693.* nempe quorum objectum est carnis delectatio sint minora spiritualibus cit. D. Th. sine distinctione affirmat cæteris paribus, carnalia tamen esse [magis infamia, Arriaga vero à n. 22. refutans rationes S. Th. negat posse dari generalem Regulam, sed in quavis specie particulari peccatorum major, vel minor malitia est desumenda, ex objectorum aliorumque ad ea per se circumstantium consideratione.

707. Hinc peccatorum inæqualitas pendet ex multis capitibus, quorum aliqua subjicio, ex quibus aliquo modo innotescat gravitas inæqualis.

Primo cæteris paribus peccata intrinsece mala graviora sunt peccatis ideo solum

solum malis, quia lege positivā sunt prohibita, illa enim, secus ista discordant in substantia cum natura rationali.

Secundo ex intrinsece malis pejora sunt, quæ objecto nobiliori contrariantur, hinc peccata adversus DEUM sunt multum deteriora peccatis adversus hominem. Ex peccatis vero adversus hominem majora sunt, quo majus est bonum, cui opponuntur; sic homicidium est pejus detractio, & hæc deterior furto cæteris paribus, quia bonum vitæ præponderat bono famæ, & istud bonis fortunæ.

Tertiò ex peccatis adversus præcepta positiva magis mala sunt, quæ sunt contra præceptum majoris momenti.

Quarto cæteris paribus communiter gravius peccatum est, quo nobilior est virtus per peccatum destruenda, si autem plura specie diversa opponuntur eadem virtuti, inæqualitas petenda est ex inæquali oppositione, unde quia oppositio per contrarietatem longe major est oppositione per contradictionem, fit, ut odium DEI sit longè pejus, quàm sit ommissio charitatis præceptæ, nam actus positivus præter malitiam omissionis continet positivum respectum objecti.

708. Nihilominus non est attendenda sola virtutis nobilitas, sed insuper cujusnam virtutis in plurium concursu, dum omnes impleri non possunt, hic & nunc præceptum strictius obligat, fieri enim potest, ut virtus ignobilior strictius actum suum præcipiat e. g. est domi æger (non est necesse adesse periculum mortis, sed sufficit eum pati dolores graves, aut egere aliquo levamine. Artiga *num. 20.*) die Festo concurret virtus

Religionis de audienda missa cum præcepto misericordiæ præcipiente assistentiam ægro præstandam: Religio etsi sit virtus præstantior misericordiæ, hæc tamen hic, & nunc strictius obligat ex omnium consensu.

Item homicidium est gravius omissione missæ, & tamen hæc nobiliori virtuti opponitur nempe Religioni, quæ est præstantior justitiæ, cui opponitur homicidium. Item temperantia est ignobilior, quam fortitudo, & justitiæ, & tamen fornicatio opposita temperantiæ est gravior timiditate opposita fortitudini, & furto contrario justitiæ. Rursus homicidium est pejus violatione voti non obstante, quod hæc Religioni, illud justitiæ contrarietur,

Non ergo sola inæqualitas, ac notabilitas virtutis, sed etiam gravitas obligationis virtutis pensanda est, ut definiatur major, minorve gravitas peccati: gravitas autem obligationis colligenda est partim ex communi judicio, partim ex gravitate materiæ, aut etiam ex ipsis terminis, sic ex ipsis terminis pejus est odisse DEUM, quam creaturam. Herinx *D. 5. num. 60.* monens *num. 61.* si nullo ex capite quorundam peccatorum inæqualitas queat discerni, non idcirco anxie laborandum, dummodo sciantur illa, in quibus est gravis, & manifesta inæqualitas.

709. Quintò crescit peccatum ex nocumento, quod prævidetur ex natura rei, seu per se secuturum, sive illud sit temporale, sive spirituale, si spirituale accrescit nova malitia scandali, si temporale accrescit peccatum injustitiæ, dummodo aliquo modo in se aut in ea causa sit præ-

prævisum, nam invincibiliter ignoratum, et si sit per se annexum actioni tuæ libere, non potest imputari, Joan. Præposit. 1. 2. q. 73. art. 8. dub. 1. cum nihil volitum, quod non præcognitum.

Extende etiam ad damnum pœnæ gravitatem temporalem, quam æternæ annexum peccato mortali adeo, ut ex hoc capite augeatur peccatum ad specialem malitiam mortalem contra propriam charitatem, Arriag. D. 44. num. 13. contra Vasq. contrarium quoad pœnam æternam, quia, inquit, est circumstantia omnibus mortalibus communis: inò etiam quoad temporalem, quando delinquens prudenter prævidet non secururam. Ratio extensionis est, quod peccans cum prævisione ex suo peccato secururam æternam torturam in proximo peccet mortaliter contra justitiam, & charitatem, ergo prævidens eandem in se secururam peccat mortaliter contra propriam charitatem, hæc enim me strictius obligat ad vitanda propria, quam aliena damna peccatis annexa. Hinc fideles peccantes cum actuali memoria inferni dupliciter peccant mortaliter in quovis peccato, primo speciali malitiâ cujusvis peccati mortalis, deinde alterâ communi omnibus mortalibus.

Et ex his est manifestum, quod fideles duplo gravius peccent, quam Ethnici invincibiliter ignorantes æternitatem pœnæ quia tamen per se intelligitur à Confessario, necesse non est meminisse in confessione hujus malitiæ.

Deinde etiam inharendo sententiæ oppositæ secundum omnes Christiani gravius peccant, quam infideles non credentes pœnæ æternitatem, quia culpa fi-

delium est magis voluntaria, cum plura agnoscant motiva à peccato retractiva, ergo dum non retrahuntur, signum est majoris erga peccatum affectus.

710. Sexto, peccatum cæteris paribus eò est gravius, quò persona offensa creata est majoris dignitatis temporalis, vel spiritualis, communis enim sensus est, quod injuria sit eò gravior, quò persona quæ offenditur, est dignior temporaliter, sic alapa Regi inflicta est peior, quàm data plebejo. Sic etiam injurias personam sanctiorem peccat magis propter majorem conjunctionem, quam offensus habet cum DEO, in quem eò magis redundat, quò quis ei gratior est juxta illud Zachar. 2. *Qui vos tetigerit, tanget pupillam oculi mei.* Ita D. Th. 1. 2. q. 73. art. 9.

Dixi cæteris paribus quia homicidium Sanctissimi est minus grave, quam peccatoris, cit. Arriag. num. 20. contra aliquos: occisor enim peccatoris causat duplicem morrem, temporalem & æternam, occisor vero Sanctissimi infert solum temporalem.

Minime tamen hinc fas est deducere quod justus invasus non posset aggressorem occidere, quod hujus damnatum æternum præponderet malo proprio mortis. Ratio quod malum propriæ mortis temporalis sit quidem minus malum malo damnationis invasoris, si præcisè comparentur invicem, secus si malum mortis temporalis cum multorum correctione (qui aliàs cum ingenti Republicæ damno grassarentur in aliorum vitam videntes se non posse occidi ab injuste invasivis) compararetur cum damnatione invasoris, ad

ad quem per accidens concurrat ejus occisor, dum aliter nequit servare vitam suam.

Non tamen omnia peccata ex magnitudine personæ, in quam peccatur, sunt graviora, sic furtum æqualis summæ est æquale peccatum respectu æqualiter divitum, etsi unus sit nobilis, alter ignobilis: quia per accidens se habet status ad tale peccatum ex communi sensu hominum: sicut etsi plura filiorum peccata adversus parentes sint pejora, non tamen omnia per *nu.* 607.

711. Septimo quò peccans est sanctior, eò est gravius ejus peccatum, ita Theologi cum D. Th. *art.* 10. quia ob majorem gratiam potest facilius vitare, ob majora accepta à DEO beneficia est major ingratitude; & quò sanctior est persona, si hæc peccet publicè, eò amplius scandalizat.

Nunquam tamen S. Th. intendit quod veniale fiat mortale ratione status

perfectioris peccantis, nisi accedat contemptus, aut votum, etsi *qu.* 89. *art.* 3. negat hominem in statu innocentiae potuisse venialiter peccare, hoc enim refundit in alia principia, quam in statum; *dignitas enim*, inquit, *persona est quedam circumstantia aggravans peccatum* (nempe intra genus mortalis vel venialis) *non tamen transferens in aliam speciem.*

Octavo ex diverso modo attingendi objectum peccati multum crescit, aut decrescit malitia: fieri enim potest ut peccatum contra nobilius objectum sit minus peccato adversus nobilius, sic scribit Soarez *tom.* 3. *in* 3. *p.* de *Evch.* D. 66. S. 2. homicidium in sua specie est gravius indigna Eucharistiæ manducatione, esto objectum hujus, cui opponitur, sit Christus, quia hunc non attingit, ut ei nocent, occisio vero attingit hominem cum nocumento.

* *



ARTICVLVS. .V

An omnia mortalia ex genere suo, & quibus modis possint transire in venialia.

712. Peccatum ex genere suo mortale modis quinque potest transire in veniale. Primò, ex conscientia erronea. Secundò, ex cau-

sa excusante. Tertio, ex actus imperfectione. Quarto, ex voluntate legislatoris. Quintò, ex parvitate materiae.

R. P. Karch, Diff.

X XX

§. I.



§. I.

*De transitu mortalis in veniale ex primis tribus
Capitibus.*

Mortale dupliciter potest considerari, nempe in genere naturæ, seu secundum physicam entitatem actûs volitionis internæ. Secundò, in genere moris, seu secundum esse morale coalescens ex entitate actûs voluntatis, & plena deliberatione intellectûs, ac perfecto voluntatis consensu. Mortale secundum, esse morale nequit transire in veniale, quia sic sumptum includit plenam advertentiam cum perfecto consensu contra legem graviter obligantem, quam advertentiam excludit peccatum veniale, Amic. hic *D. 23. num. 207. & 217.* quæstio igitur procedit de mortali sumpto secundum suum esse physicum adæquatè ipsi identificatum, hujus enim lex graviter prohibitiva potest proponi per cognitionem plenam, aut semiplenam, physica enim entitas actûs non connectitur essentialiter cum cognitione determinata, at bene in esse moris connexa est cum illa ut totum cum parte inclusa. Per hoc, quod mortale transeat in veniale per variationem cognitionis, nihil essenziale, entitati actûs variatur, nam illi est essentialis tendentia in materiale objectum, quæ tendentia secundum rectum manet, variatâ duntaxat cognitione re-

presentativâ objecti materialis prohibiti.

713. Quæres igitur primò, an mortale quodcunque ex genere suo valeat transire in veniale ex imperfectione actûs, sive advertentiæ, sive consensûs. Respondeo affirmativè ex *num. 699. & sequentibus 2.* nullum enim mortale peccatum potest dari sine tribus, videlicet, sine plena deliberatione, pleno consensu, ac gravi materia.

Quæres secundò, an ex conscientia erronea invincibili dictante esse leve, quod re ipsa est mortale queat omne mortale transire in veniale. Respondeo affirmativè, ita omnes, quia non potest imputari peccatum ad majorem culpâ, quam sit propositum voluntati per cognitionem, sed erronea invincibilis supponitur proponere illud duntaxat esse leviter malum, ergo sic propositum imputari non potest, nisi ad culpam levem.

Quæres tertio, an peccata ex præcepto, aut objecto mortalia ex causa excusante evadant venialia, aut etiam nulla. Respondeo affirmativè de pluribus non solum lege positivâ humanâ, sed etiam positivâ divinâ, & naturali prohibitis: pars prima constat de omiſſa missa die præcepto, non servato jejuniio
 &c.

&c. dum adest iusta causa ut aegritudo non levis, metus gravis &c.

Pars secunda, habet locum in legibus divinis per se respicientibus utilitatem operantis, ut in praecepto Baptismi, Pœnitentiæ &c. non obligante cum vitæ periculo, secluso periculo damnationis, uti nec praeceptum confessionis ad confitendū integre materialiter, seu omnia commissa, dum sine magno valde incommodo nequeunt exponi ut si æger sine ingenti difficultate progredi non potest, aut si pluribus à Confessario sit succumbendum ut tempore pestis; aut est periculum con-

ragionis: aut si sacerdos celebrare debet conscius peccati mortalis destitutus confessario, tunc inconfessus cum prævia contritione potest dicere missam.

Pars tertia, patet in ablatione rei alienæ, quæ si fit in extrema necessitate, caret omni culpa (si in valde gravi excusat saltem à mortali furtum rei necessariæ, victui, amictui, medicinæ &c. Sponser p. 1. Decal. c. 5. nu. 11.) uti & officio invaloris vitæ est licita cum moderamine inculpatæ

tutelæ.

* *

*



§. II.

An ex voluntate legislatoris in materia de se gravi, ac graviter conducente ad finem præcepti possit esse obligatio solum venialis:

714. **O**Mnes fere apud Mærat. hic *D. 13. S. 3. contra Sayrum in clavi Regia lib. 3. c. 7. nu. 17.* concedunt nullum legislatorem etiam DEUM posse sub reatu mortali obligare in materia, quæ consideratis omnibus circumstantiis est levis. Ratio, quod etsi existentia legis, & hujus obligatio pendeat à voluntate Legislatoris ut à causa moraliter efficiente, attamen ad hoc necessarò prærequiritur capacitas materiæ, supra quam obligare non potest, sed materia levis de se est incapax gravis obligationis, sicut delictum leve est incapax gravis pœnæ, ita

ut nec DEUS queat graviter illud castigare. Hoc supposito.

Respondeo ad quaesitum affirmativè cum Soarez *lib. 3. de Legib. c. 27. n. 7.* Sanch. *lib. 1. de Matr. D. 9. n. 6. & lib. 6. in Decal. c. 4. num. 25. &c.* contra Vasq. *1. 2. D. 158. c. 3. num. 17. & c. 4. à num. 32.* acriter repugnantem Bellarm. & alios apud Pal. *tom. 1. tract. 2. D. 2. p. 8. num. 5.* qui nobiscum sentiunt *num. 4.* Ratio est, quod etsi materia sit capax gravis obligationis, illa tamen non est causa effectiva moralis obligationis, sed libera voluntas Legislatoris,

X xx 2

cui

cui sicut est liberum sub nulla culpa directè obligare in materia gravi, ut patet in legibus purè pœnalibus, & Regulis plurium Religionum non obligantium directè sub ulla culpa, ita est eidem liberum directè obligare solum sub culpa levi.

715. Objicit Vasq. dato semel humano præcepto, vis obligandi quam habet, derivatur ex lege naturali, quæ dicitur parendum esse superioribus, sed lex naturalis in materia gravi nequit obligare leviter. Secundò, in materia levi nequit obligare graviter per *num.* 713. ergo nec in materia gravi leviter. Tertio, votum emissum in materia gravi obligat graviter, esto votenti sit liberum vovère, ergo etiam lex in materia gravi stringit graviter.

Respondeo ad primum, jus naturæ in materia non necessaria non dicitur parendum superioribus ultra quantitatem obligationis per leges impostæ, hæc enim obligatio supponitur ad jus naturale, & ideo falsum est, quod ex naturali jure derivetur obligatio legis positivæ humanæ, sed immediate à potestate Legislatoris ferentis legem. Neganda proinde est Major, & concessi minori nego consequentiam, disparitas est, quod obligatio legis naturalis sit necessaria, & idcirco obligat juxta capacitatem præsuppositæ materiæ obligatio verò legis humanæ est libera, activa quidem immediatè, passiva vero mediatè, passiva enim obligatio dicitur illa, quæ moraliter resultat in subditio ex activa, quæ est ipsa legis essentia, nam lex essentialiter est vinculum obligationis


inductivum, unde passiva est effectus legis, secus activa, Soarez *n.* 11.

Ad secundum est disparitas, quod obligare mortaliter in materia levi superet potestatem Legislatoris, secus obligatio levis in materia gravi.

Ad tertium nego antecedens cum Præposit. hic *qu.* 95. *D.* 3. *dub.* 2. unde potest quis sub veniali sine absurdo vovère castitatem. Non est paritas à juramento obligante necessario sub mortali in materia gravi, quia dicere veritatem in juramento assertorio non oritur ex voluntate jurantis, sed ex natura rei, hoc ipso autem nascitur obligatio gravis dicendi verum obligatio enim hæc opponitur injuriæ, quæ fit DEO, dum accercitur in testem falsi, atqui hæc injuria est gravis, ergo obligatio dicendi verum, aut promittendi in juramento promissorio est gravis.

Dices ergo etiam potest quis contrahere matrimonium, aut profiteri Religionem sub reatu levi, aut ad tempus.

Respondeo negando illatum, quia de utriusque essentia est perpetuitas, & insolubilitas, in matrimonio quidem ex jure naturali, aut divino, in professione saltem ex Ecclesiastico jure, hoc ipso autem volens contrahere, aut profiteri talem statum necessitatur ad se graviter obligandum, cum enim venialia facile contemnantur, facile fierent divortia in casu utroque ob frequentes incommoditates cum notabili dispendio utriusque statûs.



§. III.

An mortalia ex genere suo valeant transire in venialia titulo parvitatis materiae.

716. **E**X universali Doctorum consensu quaedam mortalia esse capacia parvitatis materiae patet in furto, jejuniij violatione, & voti, in detractioe, in abstinentia à labore servili &c. non pauca è contra sunt incapacia levitatis materiae, & hæc vocantur mortalia ex toto genere, hujusmodi titulo levitatis non possunt transire in venialia, secus mortalia priora, quæ vocantur mortalia ex genere Rhodæ hic *D. 1. qu. 3. S. 2. §. 2. Sanch. lib. 1. Mor. c. 4. Pal. tom. 1. tr. 2. D. 2. p. 7. num. 1. Haunold. lib. 2. Theolog. Scholast. à n. 410.*

Difficultas in assignanda regula discernendi peccata mortalia incapacia parvitatis materiae à peccatis capacibus. Communior est ista, quod in ijs non datur, in quibus tota ratio gravis malitiæ, seu offensæ in materia quantumvis minima materialiter reperitur, & exemplificant in peccatis directè in DEUM, & ejus honorem, vel contra proximum commissis, ita *Soarez lib. 2. de Legib. c. 28. num. 23. Sanch. num. 1. Sporer. p. 1. in Decal. cap. 5. à num. 13. ad 31.* discurrens per omnia præcepta Decalogi.

Ex hac regula inferunt non dari materiae parvitatem in odio DEI, ejus contemptu, infidelitate, juramento assertorio falso, Simonia.

Hæc Regula impugnatur à *Pal. num. 2.* tum quia restat ratio, cur in quavis materia etiam parva hujusmodi peccatorum invenitur integra ratio offensæ, & non in juramento promissorio comminatorio, voto, Sacrilegio, ac in alijs Religionis actibus: tum quia non apparet sufficienter, quare in odio DEI, & contemptu nequeat dari materiae parvitatis, siquidem quis possit non velle absolute DEUM offendi, ac contemni, sed leviter.

717. Mihi placet regula *Haunoldi*: nimirum ea peccata esse incapacia levitatis materiae, quam si admitterent, redundaret in DEUM imperfectio, aut grave damnum generi humano immineret, cetera in quibus nihil horum sequitur, patiuntur levitatem materiae spectatâ lege naturali; naturali inquam, quia secundum jus positivum quaedam non patiuntur, ut in jejunijs naturali ante Evcharistiæ sumptionem contra aliquo apud *Lug. de Evcharist. D. 15. S. 2. num. 21.* contentos jejunijs Ecclesiastico: & alios apud *Hurtad. de Evcharist. D. 9. difficult. 15.* arbitantes esse veniale timere Evcharistiæ post modicum cibum, vel potum. Contra quos ratio est, quod sicut gutta aquæ in calicem consecrandum mittenda præcipi-

cepitur sub mortali ob mysterium, & significationem, ita jejunium naturale est præceptum, ut significetur Christum esse primum nostrum cibum, idcirco est materia gravis. Secundò, ex eodem jure Ecclesiæ negatur parvas materiae in ætate requisita ad matrimonium, proinde in femina debent esse completi anni duodecim, in viro anni quatuordecim contra Sanch. lib. 7. de Matr. D. 104. num. 2. volentem in utroque sufficere, si dies ultima sit inchoata anni impubertatis; Minus subsistit opinio asserentium sufficere, si tres, aut decem dies deficiant: amplius exorbitat Rebellus de Just. lib. 3. quest. 16. S. 2. num. 16. asserens ætatem ad matrimonium requisitam non peti mathematicè, sed moraliter completam, ut si sponsi ab ea distent uno, alterove mense, *parum enim distans nihil distare videtur.*

Ratio nostra est, quod ætas à Jure taxata consistat in indivisibili: eadem ratio stat pro ætate præscripta ad Professionem, susceptionem ordinum,

Amplia annum Novitiatus contra quosdam apud Dian. p. 5. tract. 5. Resol. 10. tradentes valere professionem manè factam die, in qua à prandijs expletur Novitiatus, quibus ipse *parte tertia tract. 2. Resol. 57.* contradicit, Quare regula illa, *quod parùm distat &c.* non habet locum in taxatis à Jure.

Limita de ætate pro matrimonio taxata, nisi constet, quòd malitia suppleat ætatem, similem limitationem concedo in septennio præscripto pro valore sponsalium, videlicet probabilius ea valere contracta ab ijs, in quibus clare patet ante septennium usus rationis pertrahita in tract. Canonist. de Matr. n. 20.



§. IV.

Regula Haunoldiana illustratur exemplis quoad primam partem.

718. **R**egula data *nn. 717.* habet tres partes: prior tangit peccata in DEUM, posterior peccata generi humano perniciofa. Tertia peccata reliqua neutrum horum continentia. Ex prima parte.

Infero primo peccata contra virtutes Theologicas non recipere parvitatem materiae, puta hæresim, desperationem,

odium DEI. Ratio, quia si aliquis articulus fidei sufficienter propositus negari posset absque noxa lethali, DEUS non esset summè verax in dicendo: si quis posset desperare, id est, nolle positivè beatitudinem, aut media ad hanc necessaria propter malitiam apprehensæ impossibilitatis, aut arduitas in consequenda beatitudine, DEUS non esset potens auxilia

xiliari ad peccatorem erigendum ad veniam &c. si posset levissimè odio haberi, non foret summè bonus.

Infero secundò, non compati materiæ modicitatem contra virtutem Religionis peccata directè injuriosa divinis perfectionibus, talis est blasphemia formalis, perjurium assertorium. Ratio est, quia si posset sine culpa gravi DEUS formaliter blasphemari, non esset summè perfectus, blasphemiam enim malitia est sita in contumelia DEI prolata animo illum directè, inhonorandi debitam illi perfectionem tollendo, aut indebitam affingendo, atqui si vel minimum tollas DEO, aut addas, non est summè perfectus.

Dixi *formaliter*, quia verba blasphemia prolata non ex animo significandi id, quod sonant, sunt venialia secluso scandalo, Sporer *nu. 16. Vers. In Blasphemia formali*, ubi citat Lorcam stantem pro mortali blasphemiam etiam joco prolatam, quia inquit, est jocus illicitus in quibus involvitur DEI injuria.

De assertorio perjurio probatur quod rem etiam levissimam scienter falso jurare animo invocandi DEUM in testem illius tanquã veræ faciat injuriam infinitæ ejus veritati impotenti mentiri in minimo.

719. Quod gravissimi Theologi cum Less. Valent. apud Dian. *p. 5. tr. 5. Resolut. 7.* extendunt ad juramentum promissorium, ut si pater seriò juret se castigaturum filium reum, & sine causâ intermitat, aut si promissisti jurejurando te accessurum convivium Petri, & non impeditus emanet, probabilius tamen defendit oppositum Sanch. *lib. 3. Decal. c. 4. num. 13.* Laym. *lib. 4. c. 14. n. 6.*

disparitatem dant, quod in assertorio materiali objectum divini testimonij, dum est verum, sit veritas, falsitas verò, dum est falsum, illam enim pejerans intendit confirmari divino testimonio, quod repugnat DEI veracitati, in promissorio autem non invocatur DEUS in testem veritatis, aut falsitatis rei promissæ, sed objectum ejus materiale est præsens obligatio jurantis ad rem promissam implendam, unde est quasi sponsor obligationis adimplendi promissum, sed hæc obligatio non consistit in indivisibili, sed est major, vel minor juxta gravitatem, aut levitatem materiæ promissæ, ergo etiam violatio talis juramenti est majoris, vel minoris culpæ, supponitur enim dum promissorie jurat, quod adsit animus implendi, & ideo testificatio hujus non testificatur falsum: si animus implendi abesset, indubitate est æque mortale, ac falsum jurare assertivè.

720. Infero tertio excludi exiguitatem materiæ contra Religionem in magicis superstitionibus, divinationibus, & vanis observantiis, sive fiant cum pacto expresso uti est certum apud omnes, sive cum pacto implicite inito cum Dæmone, id est, cum tacita hujus invocatione, ut quando quis sciens esse media vana, seu impertinentia ad causandum effectum, aut ad comparandam occultorum, vel futurorum notitiam, illa adhibet, sciens enim vanitatem mediõrum, dum seriò invocat, aut utitur talibus medijs, convincitur invocare aliquam virtutem homine superiorem: non DEUM utpote hæc prohibentem, non Angelum bonum nihil potentem nolente DEO, ergo Dæmonem talia, aut iastituentem, aut libenter se jis immiscentem ad sibi arrogandum

dum cultum quasi divinum in injuriam divinæ Majestatis, unde protestatio facta ab ejusmodi usurpantibus, quod nolint uti ope Dæmonis, est frustranea, quia factum ipsum contrariatur protestationi.

Dixi *sciens vanitatem*, & *seriò invocat*, quia tacita invocatio, dum fit ex joco, aut ex simplicitate excusatur à mortali *per n. 628. & seq.* ut si quis ex sola curiositate ex metu solum vano in agendis, aut cavendis absque fide firma quandoque observet vana signa aut omnia e. g. ex sternutatione auris tinnitu, corvicanu, Sporer *num. 22. ex Laym. lib. 4. tr. 10. c. 3. n. 10.* Dixi *quandoque*, quia

ordinariè ex his negotia sua gubernans, incurrit mortalem culpam, ita Soarez *to. 1. de Relig. lib. 2. de Superstit. c. 13. num. 25.*

Infero quartò in Simonia non reperiri levitatem culpæ, Simonia nunquam est formalis, aut virtualis rei spiritualis pro temporali venditio, aut emptio, res autem spiritualis etiam modicissima praponderat omni pretio temporali, continet contemptum rei spiritualis redundantem in DEUM,

Illationi est locus etiam in irritatione Sacramentorum, fractione sigilli Sacramentalis.



§. V.

Pars secunda Regulæ Haunoldi declaratur in delectatione venerea.

721. **E**Xtra matrimonium non dari parvitatem materiæ in venerea directè voluntaria delectatione est communissima, ac à plerisque Theologis recepta sententia apud Cardenas *crisis Theologica D. 45. cum Less. Lib. 4. de just. c. 3. num. 119.* Sanch. *Lib. 5. Moral. c. 5.* Laym. *Lib. 4. tr. 5. c. 8. num. 2.* contra Caramuel. *in Regul. S. Bened. D. 69. & 70.* contendentem pro materiæ parvitate, ut si solum leviter, tenuiter, & remotè sit pollutio inchoata, secus si graviter, & proximè. Nomine autem venereæ delectationis

intelligitur externa carnalis ex copula, aut pollutione, aut ex motu seminis, id est, commotione spirituum genitalium, orta, quæque tentitur in partibus generationis inservientibus. Ratio, quia eà semel admisâ in genere moris gravissimum dispendium immineret naturæ humanæ, cum enim sit exigua averfio à culpa levi, ex altera vero parte sit summa propensio in carnales delectationes, homines facillimè persuasi sibi blandirentur, hanc, illamve veneream delectationem esse modicam: unde eam procurarent cum grandi damno spirituum generatio-

ni duntaxat propaganda à natura destina-
torum.

Ob hanc rationem cit. Sanch. c. 6. num. 12. retractat, quod prius docue-
rat (nempe *Lib. 9. de Matr. D. 46. num. 7.*) hisce verbis: *Quia in quavis delectatione venerea deliberatè admissa apertum est periculum incidendi in majorem aliam delectationem manifestè mortalem, quare nec audeo, nec unquam ausus sum excusare à confessionibus hujusmodi delectationum, quantumvis modicarum declarationem: Ibidemque testatur Clementem VIII. & Paulum V. inquisitoribus fidei jussisse denuntiandum asserentem non committi crimen lethale in amplexibus, & osculis libidinosi, quamvis sola venerea delectatio, quæ in ipsis sentitur, placeat excluso alio ordine ad copulam.* Hodie non licet amplius dubitare de veritate asserti nostri, siquidem oppositum est prohibitum doceri, ac practicari ab Alexand. VII. in *Proposit. 40.* cujus expositionem relege *n. 109. & seq.*

Dixi in venerea directè voluntaria, &c. quia delectatio venerea indirectè voluntaria est capax levitatis e.g. in causa leviter influente posita, vel non ablata secluso consensu, aut hujus pericu-

lo, hoc enim est conforme fragilitati humanae, Vasq. 1. 2. D. 108.

722. Regulas ex quibus possis discernere, quando, & qualis causa positio cum prævisione securitæ inde delectationis venereæ, aut pollutionis non intentæ, careat lethali culpa, adduxi à num. 87. ad 103.

De tactibus, amplexibus, osculis, aspectibus pudicis & impudicis tam conjugum, quam non conjugum fusè differui à num. 103. ad 114. exinde ad num. 117. tradidi quædam documenta ad tollendos scupulos in timoratis circa cogitationes de rebus, motibusque venereis.

Demum adverto, quòd licet non detur materiæ parvitas in re venerea directè volita, datur tamen in materia luxuriæ, hæc enim latius patet, quam res venerea; hæc siquidem propriè est, vel coitus carnalis, vel pollutio, vel delectatio exinde, aut ex motibus commotis spiritibus orta, aut ea, quæ ad præfata proximè disponunt, ut tactus, & agitatio verendorum, Luxuria vero ultra hæc comprehendit omnia quomodolibet ad libidinem provocantia, in his autem dari parvitatem materiæ est certum, ut leviter tangere manum fœminæ, digitum intorquere, pedem pede premere, &c.



§. VI.

Pars tertia Regulae Haunoldi applicatur peccatis mortalibus non redundantibus in DEUM, nec cedentibus in nocumentum grave generis humani.

723. **A**mplissimam hic §. suppeditat materiam de cæteris peccatis ex genere suo mortalibus, in quibus divinis perfectionibus nihil demitur, nec additur, neque ex illis imminet notabile damnum generi humano, uti imminet ex delectatione carnali, sive venerea. De hujusmodi ergo mortalibus inquirimus, an admittant parvitatem materiae liberantem à mortali: juxta ordinem præceptorum Decalogi expediam casus, quibus præmittam ea, quæ concernunt virtutes Theologicas, ac virtutem Religionis.

An leviter possit peccari contra virtutes Theologicas ob materiae exiguitatem.

Respondeo negativè, nam hæresis opposita fidei, desperatio per defectum, & præsumptio per excessum spei per num. 690. odium DEI Charitati divinæ non patitur materiae parvitatem juxta num. 718.

Dixi *Charitati divinæ*, quia odium inimicitiae, seu malevolentiae contrarium charitati proximi posse transire in veniale est indubitatum, ut si proxi-

mo optes malum leve, aut de hoc gaudeas.

An Religionis virtus sit capax levitatis materiae.

724. **C**ontra hanc pugnant superstitio, divinatio, & vana observantia, quibus hic nihil addo præter asserta num. 720.

De blasphemijs vide num. 616. vers. Inf. 2. juncto num. 267. & à num. 272. ad num. 274

Perjurium in juramento assertorio esse in materia etiam levissima mortale, uti etiam contra juramentum promissorium, si absit animus implendi promissum, constat ex num. 717. materia enim juramenti promissorii, in cujus testem promittens jure jurando DEUM invocat, est præsens voluntas implendi promissum, secùs veritas, aut falsitas executionis rei promissæ, quæ cum sit divisibilis non impletio in parva quantitate probabilius non est mortalis, ut dixi cit. loco.

Hinc deduco cum Sanch. Lib. 3. Mor. c. 4. num. 13. Laym. Lib. 4. tr. 4. c. 14. num. 6. contra Cajet. Valent. Less.

Leſſ.) leviter delinquere contra Religionem, ſi pater contra juramentum filium reum non caſtiger, Petrus non accedat convivium, cui ſe interfuturum juravit, quia eſt materiæ parvitas, in cuius veritatem non invocatur DEUS ut teſtis.

725. Quæres ulterius primo an mercatores jurantes *tanti, aut pluris ſibi conſtare merces*, ſi re ipſa eos tanti non emerint, graviter ſint ſacrilegi, ac perjuri? ubi advertendum à confellario, rudes ſapè confundere Germanica iſta verba *Schwören / Schelten / Fluchen*. Id eſt jurare, blaſphemare, & malediceſe, ſeu imprecari. Ut ergo intelligat, an juraverint, rogandi ſunt primò, quibus ſint verbis, ſi comperiat, fuiſſe juratoria, rogandi ſunt ſecundò, an intenderint Deum vocare in teſtem, cum ſine hac intentione nequeat eſſe juramentum. Si affirmant, rogandi ſunt tertio, an verum, vel falſum jurarint, ſi falſum, nequit eos à mortali liberare materiæ parvitas *ex num. 716. in fin.*

Reſpondeo nunc ad quaſtionem cum Sporer *p. 1. in Decal. tr. 1. c. 5. num. 23. in fin.* eos plerùmque re ipſa non pejerare, niſi erroneè verborum ſenſum judicaverint falſum, quia verba illa capacia ſunt in mercatoribus veri ſenſûs, eſt enim ipſi pro mercibus tantam pecuniam non dederint, verè tamen tanti communiter conſtant æſtimato ſimul labore, periculo, &c. ideo de hoc pretio ſubintelligendo debent inſtrui, niſi præcligant deponere conſuetudinem jurandi.

726. Quæres ſecundò an in voto poſſit eſſe violatio levis titulo parvitat.

Sporer de hac quaſtione agens *num. 30. verſ. qui vovit*, præmittit hanc Regulam generalem: *Cujusvis eorius, niſi hoc ſit exiguum, pars tertia, vel quarta eſt notabilis, minor verò, quàm ſit quarta, eſt levis, & ideo peccatum mortale eo caſu ratione parvitat ſit veniale, niſi ejuſmodi pars minor quartâ ſecundum ſe ſit notabilis, aut multum conduçens fini legis.* Reſpondeo affirmative ex communi conſenſu, cum non appareat cauſa infidelitatem in re modica damnandi mortalis.

Sequitur primò contra votum recitandi coronam ſex decadum omittentem duas non peccare mortaliter, eſt enim duæ decades ſunt pars tertia, proinde notabilis reſpectu integræ coronæ, hæc tamen eſt totum exiguum, nec recitatio duarum decadum notabiliter promovet cultum divinum, ideo illarum omiſſio reputanda eſt modica Tamb. *Lib. 1. Decal. c. 1. §. 3. num. 21.* apud Sporer *num. 30. verſ. qui vovit.* Confirmatur ſequela ex communi ſenſu, quod omiſſio partis tertiæ Horæ minoris non ſit mortalis.

Sequitur ſecundò voventem in cauſas pias terna millia aureorum, negligentem dare tres aureos non incurtere, niſi culpam levem, quia reſpectu ſummæ totius eſt pars longè minor quarta. eſto ſecundum ſe ſit notabilis: Econtrà retinentem quinquaginta peccare mortaliter, eò quod eſt relatè ad totum ſint pars exigua, ſumpta tamen ſecundum ſe ſunt quid notabile, ac multum ſublevare poſſunt

possunt pauperes, aut alias pias causas juvare.

727. Sequitur tertio, quod votum abstinendi à vino certo tempore admittat materiæ parvitatem, cum enim sit lex quædam privata, ejus obligatio est interpretanda sicut Ecclesiastica lex per *num. 215.* hæc autem non excludit parvitatem: quoad tempus tamen, intra quod obligat, excludit materiæ parvitatem, quæcunque enim intra illud notabilis violatio ejus est mortalis, habet enim se quoad hoc sicut præceptum negativum non edendi carnes cujus transgressio omni tempore est lethalis.

Dubium est de quantitate vini, quæ exhausta non reputanda sit notabilis. Respondeo cum utentibus moderatè vino pro prandio sufficiat mediæ mensuræ, pars quarta, aut tertia mediæ mensuræ non superat levitatem, *Sanch. lib. 4. Mor. cap. 12. num. 21.* apud *Sporer num. 30. vers. Qui vovit.* Idem dic de Jramento non bibendi.

Sequitur quarto, votum, aut jurementum non ludendi admittere parvitatem à lethali excusantem, hæc autem definiti non potest sine respectu finis intenti: si hic fuit cavere jacturam temporis, lusus modici temporis erit venialis; si finis fuit privatio oblectationis ex ludo, seu mortificatio, aut ne fiat jactura gravis temporalium, leviter peccat modice ludens, modicus enim lusus imò etiam longus, dum pro modico luditur, nequit notabiliter nocere rei temporali, nec ejus intermissio causare magnam mortificationem; si finis est declinatio rixarum, discordiarum, blasphemiarum, quoties ludit cum periculo proximo alicujus

ex præfatis, peccat graviter, secus seculo proximo periculo, sequela est *Sanch. lib. 3. Decal. c. 18. n. 1. & 3.*

Sequitur quinto, cum votum instar legis obliget, sit, ut vovens nequeat se sub mortali obstringere ad rem levem e.g. ad dicendum, *duo Pater, & Ave,* *Sporer num. 37.*

728. Quæres tertio, an in Sacrilegio sit agnoscenda parvitas materiæ. Nominè Sacrilegij intelligitur violatio personæ Sacræ, aut loci sacri, aut rei sacre. Respondeo affirmative ex consensu omnium, bonum enim sacreitatis est divisibile, majus, & minus pro ratione materiæ, hæc autem potest esse parva, ut patet in percussione levi personæ sacre, furtum rei modicæ sacre, aut ex loco sacro. Regulam, ex qua possit discerni, quando Sacrilegium non excedat levitatem culpæ, ponit *Sporer num. 24. Vers. In Sacrilegij istam: quoties materia levis, vel venialis esset contra aliam virtutem v.g. justitiam, certe etiam contra Religionem culpam levem excedere non debet.* Unde furtum modicum rei sacre, aut ex loco sacro est solum duplex peccatum veniale: unum contra justitiam, alterum contra Religionem; similiter actus veniales contra castitatem exerciti à persona sacra, aut circa sacram personam leviter opponuntur Religioni.

Huc revocat irreverentiam in abusu levi sententiarum ex Sacra Scriptura, quæ adhibentur ad facætiæ, aut joci causa: item jocosa quædam dicitia de Sanctis quibusdam, ut homines sunt: hancque irreverentiam vocat Sacrilegium vocale. Reliqua de Sacrilegio fuse disputata sunt de

de circumstantia à num. 633. ad 639. Plura sunt contra virtutem Religionis circa auditionem, aut celebrationem missæ, recitationem Horarum Canonicarum, de quibus infra.

De materia levitate circa primum, & secundum præceptum Decalogi remissive.

729. **C**ontra præceptum primum sunt superstitiones, de quibus n. 718. Contra secundum sunt primo blasphemix: de his sufficiunt dicta n. 616. 267, & à n. 272. ad 274.

Secundò, sunt perjurya in juramento, & Sacrilegia contra votum in quibus utrum dabilis sit materia venialis patet sufficienter à num. 718. usque ad numerum præsentem.

An actus contra tertium præceptum Decalogi veniales possint admitti? ubi incidenter de oratorijs privatis, ac horum clausulis, missis, operibus servilibus ac jejunijs.

730. **A**D hoc præceptum revocantur auditio, & celebratio missæ, abstinentia à servilibus operibus, jejunia festis prævia, de quibus pauca delibanda sunt.

Quæres primo, an in auditione præcepta missæ detur parvitas materiæ, & quænam illa. Respondeo dari indubitate, quænam autem censenda sit levis, regula melior dari vix potest præter assignatam n. 726.

Ex hac colligo in sequentibus actionibus, aut omissionibus culpam esse levem contra præceptum Missæ, voluntarie distrahi, aut confabulari modico tempore, si quis veniat ad Epistolam, aut saltem ad Evangelium, secus si hoc omitat usque ad initium offertorii Sporer p. 1. Decal. tract. 1. c. 5. num. 30. §. 2. in ferijs. cum Navar. & Soarez: non de sunt ampliantes ad omissionem etiam Evangelij, quos probabiliter sentire fatentur citati, Bonacin, Sporer, Laym. lib. 4. tract. 7. c. 3. nu. 3. ita scribens: duriusculum videri, si hominem, qui circa offertorium ad missam accessit, peccati mortalis damnemus, quod reliqua neglexerit secluso contemptu, quando, quæ principalia sunt in missa, attente audivit.

Qui se vestiens audiret missam ad eam attendens satisfactorum præcepto, non tamen liberandum à veniali tradit Mendo in Epitome Opinion. V. Missa num. 1. ubi ut certum addit non satisfieri ab eo, qui omitit unam ex tribus partibus Sacrificij, nempe oblationis, consecrationis, aut consumptionis: deinde num. 3. cum Card. Lugo, & alijs liberat à parte audiendæ missæ illum, qui nequit adesse saltem ab Evangelio dans rationem, quod ex intentione legislatoris sit præcepta integra Missa, quam si audire non potest, deobligatur à parte, huic opinioni utique contrariatur cit. Laym.

Utrum consecratio sit materia parva. proinde hanc negligens, dummodo partes reliquas audiat, impleat præceptum, atque leviter solum peccet, duplex est opinio apud Rosmer de Actib. Hum an.

fol. mihi 97. affirmans, & negans, ipse iudicat utramque probabilem, quia inquit est sub lite positum, utrum essentia sacrificij consistat in consecratione, aut communionem, subscriberem, & ego, si probabile sit consecrationem non esse essentialem, quod valde dubito. Interim patet non certum, ut putabat Mendo illum non satisfacere, qui omittit unam ex tribus partibus.

Voluntarie distractum in partibus principalibus missæ, cū iudicet cit. Rosmer satisfactorum præcepto, re vera enim adest reverenter sacrificio non minus, quam Sacerdos voluntariè distractus consecrans validè consecrat, unde videtur concedere sic distractum non fore reum, nisi culpæ levis, quod non approbo, sicut probabilior opinio reprobatur recitantem Horas Canonicas cum voluntaria distractione per totum, aut in parte notabili non contrahere reatum mortalem.

Video tamen discrimen, quod præceptum Missæ poscat solum moralem præsentiam, quæ stare videtur cum mente distracta, secus devota oratio.

Demum admitto, quod ommissio ultimæ partis Missæ à communionem exclusivè non excedat levitatem cit. Sporer; secus per notabilem Missæ partem oculos distrahens, Mendo *nn. 1.*

731. Quares secundo, an in missæ celebratione sit condenda materiæ parvitas, & in quibus? plurima sunt quæ hæc quæstio complectitur. Primo, quoties Sacerdos quis in anno celebrare debeat. Secundo an possit licitè celebrare tribus ultimis diebus Hebdomadæ majoris.

Tertio, quodnam tempus, aut locus Missæ. Quarto, an sine ministro.

Respond. ad quæstionem generalem affirmativam esse certam, uti patebit ad quæsitæ ejusdem particularia.

Respondeo ad primum, non Parochus ter, aut quater celebrans quovis anni tempore excusatur à peccato gravi Lugo. Vasq. Mendo *V. Missa num. 9.* ubi nunquam celebrantem damnat peccati mortalis, quia suum munus in re gravi non implet; à tanto reatu, dummodo in Paschate more Laicorum communicet illum liberant apud Amic. *trabl. 7. D. 33. num. 287.* Alens. Bonavent. Palat. Cajet. *in 3. p. quæst. 82. a. 10. qui tamen Comment. in impressione Rom. expunctus est jussu Pij V.* Horum opinio juxta S. Th. *cit. art.* est irrationabilis, & efficaciter reprobatur ex Trid. *Sess. 22. c. 1. dicente, quod Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præceperit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem.* Est ergo divinum præceptum aliquando Sacrificandi.

Respondeo ad secundum negative die Parasceves citra lethale ob universalem consuetudinem, quæ videtur habere vim legis, cum fideles non obligentur audire missam, esto sit dies festus. *Congr. Rituum 1622. 9. Febr.* ut cum nulla extet prohibitio pro feria quinta, fas est dicere privatas missas, quas etiam posse legi die Sabbati est longe verior opinio contra Vasq. falso supponentem, quod Missa, quæ nunc per anticipationem dicitur ante meridiem, olim dicebatur post mediam noctem, constat enim ex ordine Romano scripto tempore Caroli Magni, quod
die

die Sabbato post solis occasum apparente primâ stellâ legabatur.

732. Respondeo ad tertium, quoad Tempus juxta morem Ecclesiæ possunt dici missæ ab aurora usque ad meridiem, secus ante, aut post secluso privilegio (quale habent Religiosi pro hora una ante auroram) aut legitimâ consuetudine, vi cujus teste Mendo *Verb. Missæ n. 13.* in Ecclesijs plurium locorum celebratur una hora post, imò etiam serius in Curia Madritensi. Ibidem non culpatur, qui missam finit sub initium auroræ, quæ diversis anni partibus est proximior, aut remotior ab ortu solis, sic Mense Junio præcedit binis horis, & quadrante. Mense autem Martio horâ unâ cum quadrante. Unde Mense Junio Missâ dici potest horâ secundâ, siquidem tunc sol oritur horâ quartâ. Proinde Religiosis erit licitum legere horâ primâ post mediam noctem, nam vi Privilegij possunt unâ hora ante auroram celebrare. Certe probabile est non esse culpam saltem gravem. Missam finire ante primam, pomeridianam nam apud P. Rosmer *cit. fol. mibi 99. vers. an vero &c.* non improbantem diversimode sentiunt Doctores: qui dam volunt posse celebrari post meridiem à tertia horæ parte, alij mediâ primâ, alij tribus quadrantibus, Laym. indulget die Festo itineranti impedito Lectionem Missæ unâ horâ post meridiem, approbat etiam Mendo. Religiosi ex Privilegijs possunt celebrare usque ad tertiam pomeridianam. Adde ex cit. Mendo Episcopum ex justa causa posse dispensare, ut Missâ inchoetur post meridiem. Ne quis moriatur absque viatico, potest missa legi post mediam noctem cit. Rosmer, Lug. *de Euch. D. 20. S. 1. num. 26.* Laym.

733. Respondeo secundo ad tertium, quo ad locum missæ hanc licite sine mortali legi non posse, nisi in Ecclesia consecrata aut benedicta, aut saltem ab Episcopo deputata, aut in oratorio privato similiter autoritate Episcopi pro celebratione destinato, & habeatur Breve Apostolicum concedens licentiam celebrandi in eo, non solet autem concedi nisi pro die Missæ unica, nec hæc pro Festis solennioribus quales sunt dies Natalis Domini, Epiphaniæ, dies prima Paschatis & Pentecostes, Apost. Petri & Pauli, Annuntiata, & Assumptæ Virg. & SS. Omnium.

Oratoria Religiosorum intra eorum domos, aut in villis non sunt privata, uti nec oratoria erecta in carceribus, ac Xenodochijs pro incarceratis, ac infirmis Mendo *num. 19.* & ideo possunt etiam alij Sacerdotes in ijs celebrare citra approbationem Ordinarij, Mendo *Verb. Oratorium num. 2. ex Pontificum privilegij*: è contra exprimit *num. 6.* peccare mortiferè celebrantem in oratorio privato post unam in eo celebratam Missam, participareque culpam, qui eum ad celebrandum inducit, nisi absque fraude dominus non interfuit primæ, tunc enim potest dici secundâ, ut ipse eam audiat ex Quintanad. *tract. 7. sing. 32. num. 6. Gobat.*

Et juxta praxim, pergit Mendo, si in ea domo moriatur quis nobilis, potest Episcopus dare licentiam ad corpus præsens celebrandi in eo plures missas, ac erigendi plura altaria ad plures celebrandas Missas.

734. Habens pro oratorio privilegium non tenetur eo uti, si non potest domo

domo exire, nisi aliquis gratis velit in eo celebrare. Mendo *num.* 6. ex Gobat *Theolog. Experim. tr.* 3. n. 255.

Et si in brevi inserta sit hæc clausula: *Missam posse celebrari in tua, & familia tue presentia*, si Dominus absit potest celebrari coram familia, nam particula *Et*, hic, ut alibi sæpe non copulative, sed disjunctive sumitur, Mendo *num.* 14. ex Dian. *p.* 9. *tr.* 1. *Resol.* 2. Pal. Gobat, si dictæ clausulæ sit adjectum: & *hospitum*, advenæ, aut se invitantes, ut audiant sacrum, cum suis famulis satisfaciunt præcepto Ecclesiæ de Missa audienda: at si breve restringat ad eum solum, cui conceditur, ac famulum unum ibi pro necessarijs assistentem, reliqui etiam filij non satisfaciunt ibi audiendo Missam, Mendo *nu.* 15. ex Tamb. *de Sacrif. Lib.* 1. *c.* 4. *num.* 33. Gobat.

Oratorium debet esse tribus muris cinctum, ad ingressum sufficit tapete tegi, Episcopus aut ejus Vicarius potest delegare cuivis, ut visitet, & approbet decentiam Oratorij, non potest in eo dari Campana, nec ad id ingressus publicus, Mendo *num.* 10.

Clausula hæc: *si in eadem domo non sit alia licentia celebrandi*, non impedit tibi concessam, quando ob domus amplitudinem pars, quam inhabitas, censetur moraliter domus distincta ab ea, quam Dominus diversus inhabitat, uterque enim potest habere oratorium, Mendo *n.* 16.

735. Quæres tertio an Rubricæ Missalis patiantur materiæ parvitatem in cæremonijs, aliisque præcedentibus, comitantibus, & consequentibus riti-

bus tum realibus, tum vocalibus, in addendo, aut omittendo.

Respondeo primò generaliter cum Fagundez *Lib.* 3. *Decal. in præcepto* 3. *num.* 3. *juncto num.* 32. Regula Missalis alias esse præceptivas, & alias directivas: præceptivæ sub mortali obligantes sunt illæ, quæ continent essentiam, aut quasi essentiam sacrificij, aut ritum magna significationis, uti est oblatio, immixcere vino modicum aquæ, fractio Hostiæ consecratæ, ac hujus particulæ in Calicem immixtio, Panis Azymus in Ecclesia latina, isque triticeus (unde non conficitur Eucharistia in pane ex parte majore non triticeo, nec in vino corrupto, secus in eo, quod incipit aclescere, aut in musto, usus tamen ejus est lethalis. S. Th. 3. *p.* 9. 82. *Art.* 4. *ad* 2. apud Mendo *verb. Missa num.* 10.) ac moraliter præsens, nempe intra aram & quidem supra benedictum corporale cum Calice collocatus (benedictio ejus, ac supra illud Hostiæ consecrandæ collocatio est graviter præcepta, uti, & pyxidibus continentis formas consecrandas, discooperitio tempore oblationis, & consecrationis, etsi non discooperita non invalidat consecrationem) hinc, qui ex oblivione pyxidem cum Hostijs consecrandis non posuit supra corporale, etsi antecederet intenderit consecrare, eas non consecrat, quia virtualis intentio se non extendit ad illas, nam ad illas virtualis intentio se non extendit, ad quas se non extendit præterita intentio formalis, sed hæc se non extendit ad easdem, quia intentio formalis fuit intentio consecrandi non solum valide, sed etiam licite, sed licite non possunt consecrari positæ

extra corporale, ergo si per errorem loco vini fuit infusa aqua, debet repeti consecratio Calicis infuso vino, & modicâ aquâ, nisi aliquid aquæ remanserit in Calice; repetitio hæc præmissâ mentali oblatione Calicis fiat incipiendo à verbis: *simili modo &c.* Sacerdos non se inclinet, sed stet in eodem situ tenens Calicem in manu dextera supra corporale, ac pronuntiatâ formâ consecrationis mox sumat species consecratas, Calicem purificet &c. An etiam sit repetenda consecratio novæ Hostiæ, Rubrica ex doctrinâ S. Thomæ affirmat, quam sequitur Mendo obligans, negat Scotus, cujus opinio est verior, ac in praxi commodior, unde Rubrica quoad hoc est de consilio, quam approbat etiam pars adversa ob vitandum scandalum.

736. Pleraque aliæ Rubricæ non sunt præcepta, atque non stringunt graviter, si una, alterave non observetur ut si omittantur orationes dicendæ, dum Sacerdos se lavat, aut vestit, aut ab Altari recedit, secus si nullam Rubricam observaret, sic enim mutaret ritum Ecclesiæ in re gravi, consequenter graviter delinqueret, quemadmodum etiam omittere notabilem partem missæ ut Evangelium, vel Epistolam Mendo *num. 28.* in Canone verbalis ritus strictius obligat, quam extra Canonem, & ideo ommissio ut sit mortalis, minor quantitas sufficit pro materia gravi, ut si negligatur contextus integrum, ac novum sensum faciens: nihilominus etiam hic conceditur materiæ parvitas, ut ommissio unius, alteriusve sancti, aut si, dum est speciale Communicantes, aut infra actionem, dicatur ordinarium.

R. P. Karch, Diss.

Item est materia levis ommissio commemorationis alicujus sancti, formandæ Crucis, genuflexionis, inclinationis, tunctionis pectoris, Gloria, Credo, In forma Consecrationis ommissionem voluntariam vocis *enim* damnat gravis peccati Mendo *num. 12.* quod mihi difficile creditu, unde Tamb. *de Missa Sacrif. lib. 2. c. 5. §. 2.* Non agnoscit nisi veniale, approbatus à Sporer *p. 1. Decal. tr. 1. c. 5. n. 24.*

737. Sine sacris vestibus citra delictum grave non potest celebrari propter viaticum dandum ægro, minùs ut populus satisfaciât Missæ præcepto, quia nec divinum præceptum obligat ad primum, minus humanum de audienda Missâ nisi legitime possit confici Sacramentum Mendo *n. 14.*

Ex sacris vestibus aliæ sunt principales, seu majores, nempe Alba, Stola, & Casula, Manipulus, Amictus & Cingulum sunt minores: sine ullis ad vitam servandam posse dici Missam, nisi cedat in contemptam Religionis asserui *n. 318.* præter ibi citatos tenet Mendo *n. 14.*

Celebrare sine Cingulo benedictio etiam citra necessitatem est materia levis, Sylvest, & alij contra Filliuc. Vasq. qui à fortiori asserunt sub gravi culpa non posse celebrari sine Manipulo, aut Stola, quorum sententiæ est standum quoad Stolam (secus quoad Manipulum P. Sennyci *in Exam. Ordinandorum p. 4. c. 3. num. 479.* seclusâ necessitate, hæc vero urgente, ut si die Festo aliqua ex his vestibus non daretur, multi excusant, nec Lugo audeat id facientem condemnare apud Rosmer cit. *fol. mibi 102.* quo casu recte monet posse Manipulo uti pro Stola,

Zzz

la,

la, aut e contra, sicut, & Stola pro Cingulo; si est fractum, utatur fragmento, si unum non sufficit, connectat, ita Gobat *Theolog. Experim. tr. 3. num. 354.* Testans se in Ecclesia seculari non semel usum tali, quia probabiliter non amittit benedictionem ex Sa *Verb. Missa n. 12.* Rubrica de colore Paramentorum, prescribens nunc hunc nunc alium est pure directiva.

Celebrare Cruce in Altari est materia levis, & ideo à culpa sufficienter excusat sola devotio celebrandi. Caret peccato celebrare cum una Candela etiam Fevecea, aut cum oleo in defectu duorum Luminarium ex cera.

Absque ministro esse illicitam celebrationem putat Mendo *num. 25.* melius tradit licere Dian, *p. 2. tr. 14. Resol. 43.* in casu necessitatis, ut ne careat sacro die Festo &c. Ministri enim necessitas est potius de consuetudine, quam de expresso jure.

Missâ post consecrationem non potest interrumpi, nisi esset inopinatè providendus in mortis periculo, tunc enim actu celebrans in defectu alterius Ministri potest ad eum excurrere, ac Sacramentis supremis munire ommissis in Extr. Unct. Orationibus & solitis precibus, si confessio ultra mediam horam protrahatur, est absolvendus, etsi nondum sit integre confessus cum monitione, ut Missâ finitâ denuo vocet Confessarium ad reliqua peccata confitenda Mendo *num. 22.* ex Dian, *p. 5. tr. 5. Resol. 70.*

738. Missâ pro certis Religiosis approbatâ nequeunt dici ab alijs etiam in ipsorum Ecclesijs, Suarez *p. 3. to. 3. D. 65. S. 2.* ne quidem à Capellano Mo-

nialium, Congr. Rit. 20. Novembr. 1628. apud Mendo *n. 11.*

Non est materia levis accipere plurimas Missas stipendiatas, quibus nequit satisfieri ante longum tempus, nisi dans stipendium sciat Sacerdotem prius oneratum pluribus, quia cedit in grave dantis præjudicium, Mend. *n. 12.*

Sacerdos pluribus liberaliter promittens Missas probabiliter satisfacit unica pro omnibus Mend. *num. 32.* ex Dian. Dicastill.

Hæc opinio præsertim est admittenda ab jis, qui negant posse liberalem promissionem obligare graviter, nisi promittens intendat se obligare ex Justitia.

Religiosus solo titulo gratitudinis, & benevolentiae obstrictus celebrare pro benefactoribus, aut fundatoribus, potest Missam applicare danti stipendium, quia non accipit duplex stipendium pro Missâ eadem, cit. Mendo. Judico tamen à Religioso Societatis id praticari non posse, postquam nobis prohibitum, ne Missam Magno Gregorio sacra die 12. Martij dici solitam in gratiarum actionem possimus deinceps applicare ad intentionem P. Generalis pro ea septimana. In Altari Privilegiato pro liberandis animabus, quando eo die incidit Festum duplex de præcepto, Missâ lecta de tempore suffragatur ex declaratione Clementis IX. & X. prohibentium dici tunc Requiem.

Capellanus vi foundationis obligatus celebrare in certa Ecclesia, aut Altari non satisfacit, nisi adimpleat mentem expressam juxta plures Declarat. Card. (bis tamen, aut ter per annum alibi legendo deficit in re parva Mendo *num. 9.*) minus

nus satisfacit per Missam alibi lectam, si teneatur legere in privilegiato.

Beneficiatus oneratus Missâ quotidianâ vi fundationis omittas in ægritudine non durante ultra Mensem non tenetur supplere per alium, secus si Missâ non sit quotidiana, cit. Mendo.

Capitali percunte pro missis cessat obligatio eas dicendi, Mendo *num. 15.* quia fundator non intendit, nec potuit obligare, demum in Canone missæ, ac collectis ex Declaratione Card. nominari non potest Prælatus aut Abbas etsi in tali territorio habeat jurisdictionem quasi Episcopalem in populum, aliàs, nisi declaratio obstaret, deberet nominari, quintanad. apud Mendo *n. 8.*

739. Quæres quartò, an detur parvitas materiæ in operibus servilibus die Festo vetitis, servilibus inquam, quæ sunt universa opera Ruralia, ac Mæchanica, opera enim artium liberalium sunt licita, quibus probabiliter accensentur pingere, Tamb. *Lib. 4. Decal. c. 3. §. 1. num. 8.* contra communem extendens ad Matronas, ac Puellas pingentes in tela opere phrygio, & suadens ut fiant talia in usum pauperis Ecclesiæ, item Typographicos Characteres ordinare Laym. *Lib. 4. tr. 7. c. 7.* ampliatis ex consuetudine ad venationem, aucupium, piscationem sine magno tumultu, & labore.

Observandum hîc, quod teste Abb. *inc. 1. de Festis n. 1.* in Europa dies, intra quam debet esse feriatio à laboribus incipiat à prima media nocte Dominici, aut Festi, & duret ad dimidiam noctem alterius diei, olim autem fuit moris feriari à primis vespere usque ad vespere

secundas Dominici aut Festi *C. omnes de ferijs:* unde ubi defacto mos hic viget ex obligatione, ibi ad adventum alterius vespere est licitum laborare, cum Festum non excedat 24. horas.

Respondeo nunc ad questionem affirmative, sic communis opinio contra aliquos non damnat, nisi venialis laborantem unâ horâ serviliter secluso scandalo, Soarez *to. 2. de Relig. lib. 2. de Festis c. 31.* Laym. cit. imò etiam labor non excedens duas horas non est gravis materia, Filliuc. *tr. 26. c. 11. q. 1,* Tamb. *§. 2. num. 1.* contra Pal. *tr. 9. D. unic. p. 3. num. 4.* Alij extendunt ad tres horas, aut quatuor, quos merito reprobatur Sporer *in 3. præcept. Decal. c. 4. n. 38.* qui *tr. 1. Proœmiali c. 5. num. 24.* merito permittit pauperibus præsertim ancillis, ut una, alterave hora refarciant vestes: & Mechanicis, Sartoribus, Sutoribus &c. ex quadam consuetudine die Festo citra laborem magnum præparantibus materiam pro diebus secuturis, ac barbitonforibus unum alterumve tondentibus præsertim Rusticos,

740. Quæres ultimo, an præceptum pridie Festorum jejunandi sit capax levitatis materiæ: & quæ quantitas censenda levis contra hoc præceptum. Respondeo affirmative ad primum, ita omnes. Circa secundum est difficultas, maxime an in esu carnis sit admittenda parvitas. Est autem prius determinanda quantitas vespertinæ collationis, quam communis opinio definit parte quartâ cœnæ solidæ, quam quis ordinariè spectatâ suâ personâ, ætate, complexione, & occupatione consuevit sumere ad na-

euram sufficientiam, quæ quantitas si ascendat ad duas libras, licet sumi possunt octo uncia à quovis etiam eorum, quorum fames octo uncijs omnino extinguitur, Sporer *num. 30. §. 3. in jejunio*. Attendi debet quantitas et si cibi sint humidi, secus ad eam, quam haberent siccati, Mendo *in statera ex communi Dissert. 8. q. 1. & in Epitome opin. verb. jejunium n. 3. Laym. lib. 4. tr. 7. c. 1. num. 9.* qui vult collationem debere constare ex fructibus, aut herbis, aut parvo pisciculo, secus ut tota constet piscibus, alijs si non ad qualitatem, sed ad quantitatem attenderetur, possent sumi octo uncia ex ovis, quod improbabile esse arbitratur.

Unde *num. 8.* inquit etiam consuetudo est, ut parum panis bis cocti sumatur, quia ova, quibus hic panis conficitur, in parva quantitate parum immutant cibum, non tamen potest bis coctus panis sumi in ea quantitate, in qua unum aut duo ova immisceantur, nam cibi quantitas immutatur.

Verum cum ipse fateatur collationem esse consuetudine introductam, ubi consuetudo non attendit ad qualitatem, ibi utique non qualitas, sed quantitas consideranda est, certo germani sine scrupulo sumunt etiam solidum piscem: unde Sporer *p. 1. tr. Proœm. c. 5. n. 3. §. 3.* pronuntiat sumi posse mediam libram in qualibet qualitate ciborum esurialium.

Respondeo nunc *ad 2. quæst. ult.* quantitatem duarum unciarum non esse lethalem contra jejunium Ecclesiasticum, Mendo *num. 4.* cit. Sporer addens indubie fore reum culpæ lethalis sumentem quantitatem serotinæ collationis, aut hu-

jus dimidium circiter, sive simul, sive successive sumatur, quia notabiliter laedit finem jejunijs, secus sumptio duarum unciarum,

An etiam in esu carniarum duæ uncia censeantur materia parva contra præceptum negativum abstinendi à carnibus. De hoc cit. Sporer existimat à nullo id admitti, fatetur tamen aliquam etiam hic concedendam parvitatem, esseque nimis scrupulosos qui assignant tantam, quanta sufficit coquo ad gustandum cibum, aut dapifero Principum. Majorem permittunt Ministris ægrorum, non solum ad prægustandum, sed etiam ad excitandum eorum appetitum; demum absolvit à noxa lethali, ex mera curiositate, aut gulositate dimidium aviculæ, aut quid simile devorantem, et si præceptum, cui opponitur sit negativum, nam etiam est negativum & quidem naturale de non furando, & tamen admittit materiæ parvitatem. Verum non desunt apud Rosmer *de Aëlib. Human. folio mibi 89.* excusantes à mortali comedentes duas carnis uncias, quibus subscribit Mendo loco cit. ubi postquam dixisset juxta certo probabilem opinionem duas uncias esse parvam quantitatem, ac contra aliquos has duas uncias non debere esse carniarum, ita subdit contra istos, sed exinde probabilius est parvitatem materiæ restringendam amplius fore: nam si duplex uncia carniarum non est parvitas materiæ ad violandum graviter præceptum abstinendi à carnibus, nec duplex uncia alterius cibi erit parvitas materiæ ad violandum præceptum abstinendi à cibo ita ille. Ergo cum juxta illum sit certo probabile duas uncias esurialium ciborum esse materiam levem.

levem, legitime sequitur juxta eundem etiam duas carnis uncias esse parvam materiam.

Citra lethale potest collatio sumi tempore prandij, & pranderi in nocte, imò caret omni culpa hæc inversio ex causa, quia non est mutatio substantiæ, sed modi Mendo *num. 7.* Hanc tamen inversionem negat posse fieri in Vigilia Natalis Domini, quia consuetudo permittit illâ nocte serotinam collationem pinguiorem octo uncijs, quæ consuetudo cum sit introducta ob festi solennitatem, quæ incipit à vespere, non ad prandium, hujus tempore non potest illa die sumi.

Plures parvitates materiæ successivè sumptæ coalescunt in unum, unde parvitas illa, quæ prioribus addita conficit materiam gravem, transit in hanc, Mendo *Verb. Jejunium. num. 9.* cum alijs.

Datur etiam materiæ parvitas in anticipatione prandij, circa quam apud Dian. *p. 1. tract. 9. Resol. 7.* Authores variant: quidam reputant pro parva materia, si unâ horâ ante meridiem pranderetur: alij mediam, unde hi cum Religiosi ex privilegio possint anticipare per horam, concedunt hos licite prævenire horâ cum dimidia, at probabilius alij in anticipatione prandij non agnoscunt materiæ gravitatem, est enim mutatio solum accidentalis, aliàs non potuisset toties mutari in Ecclesia tempus prandendi: & ideo ex causa aliqua anticipans nec leviter peccat, ut si sit itinandum, aut hospes dimittendus, aut à meridiè concio dicenda.

* *

*

De secunda tabulæ præcepti quarti, quinti, & sexti parvitate materiæ.

741. **C**onvenit inter omnes in his tribus præceptis dari parvitatem, in quibus autem actionibus ea sit reperibilis, non patitur opus præsens, ne nimium excrescat. Potissimum difficultas circa eam est in sexto præcepto de delectatione venerea, in qua neganda est parvitas materiæ per 719.

De parvitate materiæ septimi præcepti Decalogi.

Indubitate istud præceptum patitur levitatem. Controversia est non parum intricata circa quantitatem, quantum non attingit gravitatem sufficientem pro furto mortali. Decidi non potest absolute, nisi prius resolvatur quæstio, utrum quantitas pro furto mortali sit absoluta, proinde sufficiens ad mortale cuicumque etiam opulentissimo Principi, aut Regi Sublata, vel vero sit respectiva ad conditiones personarum, & facultatum.

Opinio prima, negat ullam posse statui regulam universalem de necessaria quantitate ad mortale, quia ex innumeris circumstantijs, iisque variabilibus pendet gravitas, & parvitas, nam ubi est abundantia rerum, minoris emuntur, majoris vero, ubi est raritas: in pecunia est major, aut minor aestimatio, prout est ejus copia, & penuria: inde est, quod in loco pecunioso res uno floreno empta in loco, ubi est rara, quandoque comparetur paucis grossis. Plus ad mortale

tale requiritur, si furtum fiat diversis, quam si eodem: uti etiam si quis successive ab eodem accipiat, quam si simul: similiter in furtis uxoris, filiorum. Religiosorum ex rebus mariti, parentum, & Monasterij amplior quantitas est necessaria pro mortali, quam in furtis extraneorum.

Secunda, stat pro Regula universali, quia penes quemvis est jus certum, ac uniforme in bona fortunæ, famæ, & honoris, quod violatur per furta, detractiones, ac contumelias, ergo regula uniformis debet statui. Porro in ea assignanda multum discordant.

Ex Recentioribus assignant istam: illa quantitas sufficit, cujus ablatio dissolvit ex natura rei amicitiam humanam, levis vero est quantitas, quæ ex natura rei non dissolvit, sed duntaxat inducit aliqualem tepiditatem amicitia, sensum doloris, ac iræ facile sedandum: sicut secundum hos Doctores peccatum mortale est illud, quod dissolvit amicitiam cum Deo, veniale vero, quod non dissolvit. Tertia, asserit esse gravem materiam surripere valorem laboris diurni hominis mediocriter idonei, non desidis, nec etiam operarij summe industrij, hujus enim Labor superat pretium sufficiens ad mortale, sed cum labor pro diversitate temporis sit major, aut minor, nempe summus in æstate, minimus in hyeme, medius temporibus intermedijs, concedit hæc sententia, quod quantitas pro furto mortali sit divisibilis, nihilominus pretium valoris respondentis etiam labori diurno hyemali, esto sit minimum, adhuc tamen sit intra latitudinem materiae gravis, ita Mol. *D. 585. n. 1.*

Quarta Lug. *de Just. D. 16. S. 2. num. 26.* docet quantitatem illam sufficere, ac requiri necessario, ut sit furtum mortale, quæ nisi graviter prohiberetur magna incommoda sequerentur in humano convictu, hujus explicationem vide apud eundem.

Quinta, cum Lessio. Lugo cit. *num. 28.* putat sufficere unum aureum respectu omnium etiam Regis, ac prædivitis hominis, Sporer *p. 1. tract. 1. Præmiali. cap. 5. nu. 26.* assignat duos circiter aureos. Roderiquez vero in summa ponit valorem, qui excedit duos aureos.

Sexta, Haunoldi definiens quantitatem, quæ sufficit pro commoda sustentatione unius diei, qualis est illa, quæ nec est lauta, nec pauperum. Hanc secutus sum de jure, & justitia, à qua non multum differt Sporer cit. collocans gravitatem in summa, quæ sufficiat ad victum unius diei tali personæ, cui ablata est, quæ etiam novissime placuit P. Joanni Baptistæ Gormaz dicentis: quod unus coronatus ad victum Regis sit sufficiens. Hæc sunt potiores sententiæ de absoluta quantitate de furto gravi absque relatione particulari ad personas ditiores, vel pauperiores.

742. Alij volunt gravitatem materiae non absolutam, sed respectivam esse, id est, desumendam ex respectu ad personas, harumque facultates. Eas revocant ad tres, quatuorve classes.

Prima, est personarum illustrium, vel valde divitum, respectu horum est materia gravis aureus. Secunda, mediocriter divitum, relate ad hos statuunt circiter florenum, aut medium imperialem,

lem. Tertia, continet personas nec opulentas, nec pauperes, pro his statuunt mediū circiter florenū. Quarta, operariorum, his auferre mercedem laboris diurni est materia gravis, ad hanc classem referuntur mendici.

Hæc opinio pluribus ut probabilissima arridet, utpote nec nimis laxa, nec nimis stricta, estque in praxi tuta.

Notat Lessius si quis auferat alteri rem non magni pretij, hic autem exinde pateretur grave incommodum, peccatum quidem mortaliter non mortalitate furti defectu notabilis pretij, sed mortalitate injustæ damnificationis.

Ex his facile colligi potest, quam quantitas in materia furti censenda sit levis, videlicet illa, quæ minor est quantitate requisita ad mortale, sive sequaris sententias stantes pro quantitate absoluta, sive respectiva ad personas.

Adjicio tria. Primum, est non committi furtum ab eo, qui immiscet suo vino venali aquam dummodo non efficiat deterius vino quod alij vendunt (tale tamen vendi non potest ijs, qui emunt pro conservando, nam lymphatum facile corrumpitur) idem dic, si tritico valde bono admiscet alia grana, ut sic reducat ad æqualitatem cum aliorum tritico, Mendo *in Epitome opin. Verbo furtum. num. 2.* quia sic nulli infert injuriam, resque quas vendit, manent æque utiles ad usus humanos.

Secundum est, cum duplex fere quantitas major requiratur ad mortale furtum uxoris, ac filiorum, sequitur quantitatem minorem duplo in istorum furtis esse levem.

Tertium est, quod Filius pro Patre exercens mercaturam, aliudve negotium, possit petere justè mercedem quoad excessum, quo illa superat alimenta, & si pater nolit præstare, possit licitè clam accipere, Mendo. *num. 22.*

Adde ex eodem *num. 19.* non esse reum noxæ gravis furtive tollentem rem, quam dominus rogatus daret, quia non est invitus quoad substantiam, sed quoad modum, caute tamen hic procedendum, ne furtis via pandatur. Facilius locum habet in furtis uxorum, filiorum, quam cæterorum.

De levitate materia contra octavum præceptum Decalogi.

743. **T**Ria sunt bonorum genera inter se inæqualia, vita, fama, facultates, Vita est ordinis superioris, ac supremi, fama, & honor secundi, ac medij, facultates autem infimi. Honor est testificatio excellentiæ seu dignitatis alterius. Fama vero est clara cum laude notitia id est, communis opinio voce manifesta. Læditur fama deractione in absentia, seu narratione criminis occulti veri, aut falsi.

Honoris læsio fit tripliciter; contumelia, dum quis verba falsa dehonorantia in faciem profert; convitio dum vera objiciuntur, talia tamen, quæ dehonorent e.g. vocando Judæum, licet sit ex sanguine tali: demum improprio, dum alteri in faciem oggeritur necessitas, egestas, ac beneficia in eum collata refricantur.

Quares primo, an detractio, contumelia

tumelia, convitium; ac improprium sint peccata mortalia, & quando, seu quamnam regula sit discernendi peccatum mortale à veniali, aut nullo contra præceptum octavum. Respondeo ad primum, cum communi apud Mendo *in Epit. opin. Verb. Honor. fama num. 6.* affirmative, dum his notabiliter læditur fama, aut honor, nisi dehonoriatio fiat correctionis gratiâ sine notabili excessu, qualis foret notabiliter injustè alterum contristando, pudorem, ac dolorem inferendo, sic enim nec Prælati, nec Domini subjectos possunt verbis contumeliosis afficere.

Respondeo ad secundum, cum Lugo. *de Just. D. 14. S. 4. à num. 49.* quoties relatio, aut objectio criminis, aut defectus consideratis circumstantijs; personæ, defectus, vel criminis narrati aut objecti, existimationisque, quam apud alios habet persona prudentis arbitrio censetur graviter nocere famæ, vel honori, toties detractio, contumelia, convitium aut improprium est peccatum mortale, veniale vero si graviter non nocet. Ex hac Regula.

Infero primo, posse esse detractio- nem mortalem in peccato veniali, ut si de Episcopo, aut viro Religioso gravi dicatur esse mendacem, id est, frequenter eum mentiri, aut quod virtutes fingat, Lugo. cit. Mendo *num. 13.* ex communi; ubi gravitas desumitur ex circumstantijs personæ, & existimationis, quam habet.

Infero secundo, posse detractio- nem esse levem de peccato mortali personæ id non reputantis pro indecoroso ut si de milite, aut de juvene profano narres eum

desiderare fœminas, aut cum his peccare, aut de milite glorioso, quod velit injuriam vindicare, cit. Lugo Mendo *num. 15.*

Infero tertio, esse levem materiam revelare vitia generalia, ut esse superbum, iracundum, avarum, ignarum & similia, quia hujusmodi loquendi modo non denotatur culpa gravis, sed inclinatio de se indifferens ad levem, aut gravem culpam, Mendo *num. 14.* Less. Azor.

744. Quæres secundò, an, ut sit mortalis injuria contra honorem aut famam, requiratur ut reddat infamem, aut ut alij sint præsentis, & quid si coram paucis discretis, ac taciturnis narres crimen occultum grave? Respondeo ad primum negativè, quia etsi non fiat infamis, attamen potest notabiliter lædi fama, aut honor, sicut potest esse furtum grave seu læsio notabilis in bonis fortunæ, quamvis læsus non evadat pauper.

Respondeo ad secundum, negativam videri sustinendam saltem in gravibus contumelijs, quæ videntur graviter afficere, etsi nullus alius sit præsens, ita Less. Mol. Filiuc.

Dixi *in contumelijs*, quia de verbis detractorijs plures aliter sentiunt.

Respondeo igitur ad tertium, esse duplicem sententiam: prior probabilius excusat à mortali, quia perinde se videtur habere, ac si nullus sciret, aut saltem non apparet notabilis infamatio, ita Cajet. 2. 2. *quest. 73. art. 2. dub. 1.* Dian. p. 3. *tract. 5. Miscell. Resol. 33.* Mendo *num. 18.* ex Navarra *lib. 2 de Restit. cap. 4. num. 333.* inclinatur Less. *lib.*

lib. 2. dub. 11. limitans ut non procedat, si quis revelat Prælato, alijsve viro gravi, à quo dependet quia mallet quandoque pluribus crimen suum constare, quam Prælato, &c.

Esse mortale ut probabilius sustinui de *Jur. & Jusit.* à paritate judicij temerarij, quod omnes peccati mortalis] damnant in materia gravi, etsi nulli alteri pandat suum judicium. Neque dicas esse differentiam, quod per judicium temerarium falsum crimen appingatur proximo, at vero in detractioe crimen verum. Non inquam dicas, quia non minùs occultum crimen detegere est contra jus in famam, quam impositio falsi.

Ex priorè sententia sequitur quod probabiliter non sit mortale secreto inquirere crimen alterius, ut illud scias] seculo pravo fine, sed ex curiositate, Mendo *num. 24.*

745. Quares tertio utrum sit materia levis, si quis gravem sibi factam à certa persona injuriam aperiat alteri. Negativa est certa, si intendat damnum.

Dubium duntaxat est, si finis sit lenire dolorem, aut capere consilium adversus injuriantem. In quo dubio rursus negandum est, si pluribus reveletur, quam sit necesse ad consulendum sibi, aut ad mitigandum dolorem, ita Authores citandi pro affirmativa ad præsens dubium: nihilominus Joan. de la Cruz in *Directorio Confess. p. 8. dub. 27. q. 2. Art. 2. Conclus. 1.* liberat à mortali illum, qui secreto injuriatus non valens cohibere dolorem in publicas erumpat querimonias, quia nimis difficile est afflictionem dissimulare contra inclinationem naturalem.

R. P. Karch, Diss.

Respondeo probabiliter negative cum Mendo *num. 22.* Lug. de *Just. D. 14. num. 53.* quia habet jus, ut capiat Consilium, aut leniat afflictionem; quod exinde injurians infametur, non intendit injuriatus, sed per accidens se habet, sibi que injurians debet imputare.

Limito juxta tradita de *Jure & Jusit.* fore culpam lethalem si injuriantis infamatio notabiliter excederet solatium, aut Consilij commodum, quod passus injuriam acciperet ex revelatione, Haunold.

746. Quares quarto, an careat culpâ saltem gravi, si quis propalet, quantum est necesse, fictam paupertatem alicujus ut impediatur ab Eleemosyna relicta pro pauperibus. Idem est de dote pro pauperibus virginibus, si puella habeatur communiter pro incorrupta, tu vero non sti occultam corruptionem.

Respondeo ad primum affirmative, imò caret omni culpa, dum agitur de Eleemosyna notabili, quia ficta paupertas tunc multum nocet pauperibus, ergo ut impediatur, licitè detegitur dispensatori Eleemosynæ, si aliter damnum nequit averti; aliter inquam, quia si monitione fraternâ potest removeri, ea præmittenda est juxta præceptum Evangelicum: *si peccaverit in te &c.* Hujus tamen officio juxta *num. 742.* est noxa levis facta revelatio ficti pauperis unì, aut alteri Eleemosynæ Præfecto taciturno.

Respondeo ad secundum non posse occultam corruptionem Virginis manifestari, ut ea repellatur à dote. Ratio est, quia fundator dotis præsumitur reliquisse dotem pro Virginibus, quæ communiter judi-

Aaaa

judi-

judicantur tales, sed etsi quis occultè no-
verit corruptam, supponitur eam com-
muniter judicare esse Virginem, ergo hæc
habet jus rigorosum, ne impediatur à con-
secutione dotis: & ideo illam impediens
injuriam gravem contra justitiam faceret,
etsi uni duntaxat referret, penes quem est
executio dotationis.

747. Quæres quintò quispiam apud
multos habetur proviro docto, vel virtuoso
ultra meritum externorum indiciorum, id
est, ejusmodi existimationem non sibi
comparavit actibus externis, sed incitiã
non advertentium eam ipsi attribuit, an
sit peccatum de tali proferre sententiam
veram, sive judicium. Respondeo ne-
gative secluso affectu sinistro, quia cum
æstimatio talis non sit acquisita actibus
proprijs, non habet jus ad doctrinam, ac
probitatẽ tantam, ergo citra injuriã pru-
dens æstimator licitè de eo fert suum ju-
diciũ, ita Laym. Mol. D. 26. n. 5. ad-
dens hæc verba: *hoc admonui ad tollen-
dos scrupulos, quos viri timorati hæc
de re habere solent.*

Hinc tamen non licet inferre, quod
licitè possit detrahi famæ, quam quis fi-
ctè, ac mendacijs acquisivit publico bo-
no non noxiam, quia habet jus, ne sibi
tollatur bona æstimatio sui nulli nociva,
Mendo num. 20. ex Navar. Sor. oppo-
situm sentientibus de hypocritis mulier-
culis, ac similibus, horum enim fraudis
detectione est utilis publico bono.

Unde universaliter fas est prodere
simulationes eorum, quæ nisi indicentur,
vergunt in damnum publicum, sic licitè
manifestatur imperitiã Medici, Advocati,
Confessarij, Pharmacopolæ, &c. nempe,
si intendant tales exercere officium, quia

non habent jus ad famam cum periculo
nocendi graviter alijs: hæc causa cum
cesset, si non practicent, relatio erit
mortalis saltem contra Charitatem, imò
probabiliter etiam contra justitiam, quia
talis esto non habeat jus ut credatur posi-
tive bonus, habet tamen jus, ne æstime-
tur pro improbo.

Verum probabile etiam est non pec-
cari contra justitiam quamvis simulatio
nulli obsit, quia fraus, & mendacium
illi non debet patrocinari, patrocinare-
tur autem, si veritas non posset prodi de
tali nitentis alios decipere Rosmer de
*Actib. Human. folio mihi 82. ex Less.
Lib. 2. dub. 9, Bonac. de Restit. in par-
ticulari D. 2. q. 4 p. 8. quia ex hoc,
quod non sit necessitas revelandi imperi-
tiam, ut si aliã viã malum averti possit,
non sequitur te non posse habere jus in
famam alterius, sicut quamvis effugere
possis mortem contra vitæ aggressionem
tibi consulendo per fugam, potes tamen
sine injustitia occidere invasorem, aut
prodere crimen occultum accusatoris per
exceptionem, dum exceptio hæc est utilis
licitè possis impedire accusacionem viã mi-
tiore e.g. per acceptionem fori, Rosmer
folio 84. ex citaris.*

748. Quæres sextò an crimen ve-
rum in uno loco publicum referte in altero,
ubi est occultum, præsertim, si
nunquam eo notitia permeabit, sit mate-
ria levis. Respondeo primò non esse con-
tra justitiam, sive juste, sive injuste vera
crimina publicentur, quia jus ad famam
amissum est hoc ipso, quod sit publicum
publicitate sive facti, sive juris, nempe
per sententiam judicalem, Diana p. 3.
tr. 5. Resol. 17. ex Fagundez p. 2. lib. 5.

c. 3. num. 18. Less. lib. 2. dub. 13. Lug. num. 59. & maxime 68. cujus est lequens Regula universalis, quoties in aliqua urbe est ita publicum crimen, ut quibuscunque peregrinis eò venientibus licite narretur, toties etiam fas est alio scribere de eo crimine, si enim ex alio loco adveniendi licite narratur, nisi revertur sit ad patriam suam cum noticia criminis, cur nequeas eidem scribere, cum Epistola sit non aliud quam species humanæ locutionis,

Respondeo secundo probabiliter etiam non esse contra Charitatem, ita citati, quia quod non est contra justitiam, etiam non est contra Charitatem, dum fit ex urgente necessitate, est autem urgens necessitas, videlicet bonum publicum, cui valde expedit, ut publica crimina innotescant, ne immeriti honorentur ex ignorantia, aut promoveantur ibi, ubi ignoratur eorum demeritum, aliisque sint in exemplum ad similia non audenda.

Ex hoc capite videntur exculpabiles Historici libris suis hujusmodi crimina posteritati relinquentes, ita citati.

Nihilominus non est neganda probabilitas opinionis quæ asserit saepe graviter peccari contra Charitatem, præsertim, si divulgentur in locis, ad quæ nunquam penetrasset noticia, aut valde serò, quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris Mendo num. 12. cit. Less. deobligans tamen à Restitutione damnorum quæ inde sequuntur sive in corpore, sive in bonis fortuna.

Dixi in quæstione crimen verum, nam crimen falsò impositum etsi evaserit publicum, est gravis injustitia id igno-

rantibus recensere, quia innocens retinet jus in famam.

Dixi secundo in responso primo per sententiam, nam ante sententiam, quamvis constet de crimine per confessionem Rei, aut depositionem testium, evulgare est grave peccatum contra justitiam, nisi populo post sit publicandum, quia ante sententiam non est notorium relatè ad populum, sed solum respectu judicis ita Laym. lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 3. num. 9. Lugo num. 72. Ex solutione præsentis quæstionis, oritur alia affinis.

749. Quæres septimò an crimen notorium in una domo, aut Monasterio, vel Collegio possit licite extra talem domum aut Monasterium recenseri, sicut dictum est de crimine absolute publico, ac Manifesto in aliqua civitate &c.

Dupliciter potest quæstio intelligi. Primò an possit narrari externis, sive laicis, sive Religiosis non ejusdem ordinis nec Monasterij. Secundò Religiosis ejusdem Ordinis in alijs Collegijs morantibus invicem unitis, sive Communicantibus, prout Communicant Religiosi, qui nunc in hoc, nunc in alio Monasterio sunt incolæ.

Respondeo non posse externis etiam Religiosis domus ejusdem, aut Monasterij non incolis, nec unitis narrari sine injustitia, quia familia unius domus, aut Monasterij facit communitatem separatam, habentem jus ad sua secreta servanda, sed hoc ipso, cæteris narrari non possunt non unitis sine injustitia, cit. Lug.

Respondeo secundo probabiliter sine gravi culpa saltem contra justitiam re-

referti posse Religioso incolæ alterius Monasterij uniti cum alijs modo dicto ex *data num. 746*. Regula: possum Religioso tali aliunde adventanti patefacere licet sit remeaturus ad suum Monasterium, ergo etiam possum calamo patefacere, monet tamen Rosmer *de Actib. Human. folio mihi 82*. facillime lædi Charitatem, & ideo cautela hic habenda, ne proximus exponatur famæ discrimini.

750. Quæres octavò an sit licita pro palatio delicti secreto tibi commissi, aut cujus violenter, vel fraude notitia est exorta, si pro palatio sit medium necessarium evadendi gravia tormenta, aut vitandi grave damnum proximi temporale, aut spirituale. Respondeo primò affirmativè ex fine avertendi damnum notabile proximi, sive hic sit ipse delicti Author, sive alius, quando secretum tibi innotuit viâ licitâ, quia tunc Author non potest esse invitatus rationabiliter *per num. 745*. nec est obligatio cum tanto dispendio servandi famam alterius.

Respondeo secundò in eodem casu licere tibi prodere ut effugas gravia tormenta à parvitate damni notabilis proximi, quod licitè avertis per revelationem secreti, ut proxime dictum. *Less. lib. 2. dub. 8. num. 55*.

Respondeo tertio cum eodem probabiliter licere, etsi injustè deveneris in notitiam contra alios, quia quod extorquendo secretum peccaveris contra justitiam, non sequitur te in tali necessitate non posse uti licitè notitiâ sic comparatâ, sicut fur equi, quamvis deliquerit contra justitiam, si tamen extrema eum premar necessitas, potest eo uti etiam cum jactura ejusdem. Conf. etiam per adversarios,

qui est stipulatus secretum, potest hoc revelare, ut declinet tormenta, ergo etiam per injuriam extorquens; debitor enim ex contractu est non minus debitor, quam sit debitor ex delicto, ita arguit cit. *Less. vide Lug. D. 14. à num. 100*. aliter circa hoc punctum sentientem ubi *num. 103*. admittit nostrum responsum, quando secreti Author me innocentem injustè vexat, siquidem vim vi repellere licet.

751. Quæres novò, an absque culpa saltem gravi queat Manifestari crimen proximi ex fine extollendi ejusdem penitentiam, itè an occulta peccata filiorum, aut familiae liceat referre parentibus, aut patrifamilias, ac de eisdem uxor, ac maritus possint colloqui. Rosmer *fol. mihi 86*. excusat hæc à culpa gravi; primum quia emendationis causâ factâ relatio animus audientium non condemnat eum mortalis; secundum vero quod spectat ad parentes corrigere proles, & scire excessus suorum, ut obvietur corruptioni aliorum, & caveri mala, hinc idem *fol. 84*. ex doctrina *num. 745*. infert eum, qui scit aliquem esse furem licitè monere cohabitantes, ut sibi caveant.

Respondeo me in *Dissert. de Jure & Just.* concessisse secundum punctum questionis, illationem vero de fure limitasse, ut procedat in casu, quo monitio fraterna non prodesset, aut fieri non posset. Quod attinet revelationem criminis cum subsæcuta emendatione sive penitentia mihi cum Mendo *n. 35*. non placet, quia plus doloris sentiet Author delicti intelligens suam v.g. sodomiam fuisse detectam,

quam

quam capiet gaudij ex relata sua pœnitentia.

752. Quæres decimò, an sui infamatio in materia gravi sit libera à culpa mortali, & quid si quis falsum crimen sibi imponat, ut torturam declinet, uti quandoque faciunt rei. Item an infamans sui infamatorem de crimine verò excusabilis sit.

Respondeo primò sine causa justa se infamans probabiliter graviter delinquit, quia quisque suæ famæ curam habere debet, ex causa vero justa faciens non peccat, ut docet praxis in Religionibus se publicè accusantium de defectibus non scandalosis occultis.

Respondeo secundò etiam seclusà causà justà non esse mortale se infamare, nisi ex circumstantia fieret mortale, ut si cederet in infamiam familiæ, aut si sit persona publica, e. g. si quis proderet se fuisse Proditorem, Sicarium, &c. Ratio responsi est, quòd quisque sit Dominus suæ famæ, sicut bonorum temporalium, sed prodigere temporalia est solum veniale, nisi prodigalitas alijs graviter noceat, e. g. uxori, aut prolibus, ergo etiam prodigere famam non est mortale. Utrumque responsum ex Navar. Palud, Soto & alijs tradit Mendo n. 9.

Respondeo tertio cum eodem n. 11. post Sotum Sylvest. &c. peccare solum leviter imponentem sibi grave crimen ad evitandam torturam, nisi ut proxime est insinuatim impositio alijs sit noxia notabiliter. Ratio quia cum sit famæ Dominus, mendacium istud, e si sit in materia gravi, non superat levitatem culpæ.

753. Quæres undecimò an referre delicta quæ quis audivit ex alijs sine auxe-

si, aut confirmatione, nec nominet personam fide dignam, ex qua intellexit, sit materia levis: non nominet, inquam, quia hanc nominando peccari mortaliter farentur communiter cum Bonac. Less. Lug. &c. quia præbet prudens fundamentum credendi id esse verum.

Respondeo probabiliter affirmativè ex Sylvest. *verbo detractio q. 4. Dian. p. 3. tr. 5. Cajet. Tannero*, quia si quod damnum sequitur ex tali narratione in animis audientium, id non tamen est narrantis, quam culpa audientium temerè credentium, cum ex pura ejusmodi relatione se audivisse, & præsertim insinuando dubitationem, id est, dicendo se nescire, an sit id verum, non potest prudenter credi relatum.

Quid si de infamato in uno genere referas aliud crimen. Respondeo vel crimen, de quo infamis est connexum moraliter cum alio, vel non est connexum: si est connexum, non peccas graviter, ut si de ebrioso dicas ab eo non curari familiam, quod rixetur, aut publicus adulter scripserit litteras amatorias, aut de meretrice, quod neglexerit misfam, ut corporis usum exhiberet, quia parum, aut nihil sic nocetur. Econtrà est mortale infamare de crimine, cum quo non est nexus, ut si defornicatio publico asseras esse furem, aut adulterum, uti enim rectè monet Lug. *num. 58.* hac in re attendi debere, an damnum novum inde infamato sit oriturum, si ita, idque grave, peccatum est mortale, quale non effugis, si referas peccatum ejusdem generis iteratum ab eo, de quo constat, id fuisse semel commissum e. g. adulterium,

Aaaa 3.

quia

quia unum adulterium non habet mortalem connexionem cum alio.

An sine noxa mortifera recensere valens peccatum grave tacitâ personâ.

Respondeo affirmative, si ex circumstantijs deveniri nequit author ejus in notitiam, nec redundet infamia in alios. Hinc narrans de aliquo Religioso non nominato ex hoc, illove Monasterio, quod sit fornicatus, peccas mortaliter ob infamiam, quæ redundat in totum Monasterium, Laym. *lib. 3. tract. 3. p. 2. c. 3. n. 12.*

754. Pro reliquis nota primò, non esse nisi veniale, si quis audit detrahentem, quin cum reprehendat, aut ostendat displicentiam ex metu justo, vel ex negligentia, nisi audiens ex officio debeat corrigere, Mendo *num. 19. Dian. p. 2. tract. 17. Resol. 24.* cum quo confirmo ex *num. 742.* detrahens coram uno alterove taciturno probabiliter peccat duntaxat leviter, ergo audientes etiam non peccant, nisi venialiter etsi detrahenti non resistant.

Nota secundo, etsi quis graviter detrahat, si postmodum aliunde sit factum crimen publicum, cessat obligatio restituendi, quia est impossibilis reductio bonæ famæ Mendo *num. 36.* inde deducens, si illi, quibus detexisti crimen, fecerunt publicum, ipsis sit imputandum, eoque casu vix est possibilis coram toto populo revocatio.

Nota tertio, pœnitens morti vicinus nolens restituere famam etsi Confessario, alterive committat restitutionem faciendam post mortem suam, non est absolvendus, quia potens per se, aut alium, dum vivit reddere famam, & non

vult, actu est in peccato, Mendo *n. 40.* excipiens illum, cui non superest tempus faciendæ restitutionis, tunc enim debet committi alteri prudenti præsstituto.

755. Nota quarto, Confessarium pœnitentis moribundi, qui plurimis suâ vitâ famam abstulit, sive vera crimina occulta detegendo, sive calumniando, id est, falsum malitiosè imponendo, quin læsis satisfecerit, debere illum ita disponere, ut quantum fieri potest de præsentî reparet, sive damna temporalia si quæ inde secuta, sive famam, quibus potest, cum autem sit moraliter impossibile omnibus satisfacere ob absentiam multorum, non est melior modus, quam si moribundus curet vocari ad se plures viros prudentes, ac timoratos, coram quibus serio significet suas detractiones, calumnias, falsasque testificationes, seque in his mentitum fuisse cupereque ut hæc sua confessio innotescat universis, proinde se rogare præsentem ut patefaciant eisdem. Hæc notatio est ex Mendo *num. 41.* Laudantis Confessarium doctissimum, ex cujus consilio quidam infamator hoc modo pœnitentiam egit in facti contingentia. Addit Verb. articulus mortis *num. 9.* si opus videatur, id cum juramento infamans enuntiet.

Nota quinto, revelatio peccati mortalis occulti intra tempus breve promulgandi est solum venialis, quia modicè lædit famam, ita omnes.


Nota sexto, gravitatem, & levitatem detractionis famæ defunctorum esse metiendam juxta regulam datam *num. 743.* de detractione famæ vivorum, Mendo *num. 23.* quia defuncti non exciderunt pos-

possessione bonæ de se opinionis, sed
cam retinent in hominum memoria;
cæteris tamen paribus Molina *tract.* 4.
D. 28. & Laym. apud Rosner *fol.* 73.
arbitrantur minus detrahendo peccari
contra defunctos, quam vivos, licet
utrisque gravis injuria inferri possit, si

injuria illata defunctis non redundet in
consanguineos, restitutio famæ si fiat illis
exhibitione suffragiorum, melius est,
quam aliâ ratione, per *æt. Mol.*

D. 44. *nu.* 3.

* * *



ARTICULUS VI.

De modis, quibus peccatum ex genere suo veniale transit in mortale.

756. **P**eccatum veniale est triplex: ex
genere suo, ex imperfectione
actus advertentiæ, aut
consensûs, aut ex conscientia erronea,
& ex parvitate materiæ juxta præmissa à
num. 711. Hic agimus de veniali ex
genere suo, quod nimirum tale est vi sui
objecti, cujus levis prohibitio sufficit ad
ad arcendam ejus culpam, ac damna,
quæ sequerentur, si nec leviter essent
prohibita, ut vanæ cogitationes, verba
otiosa, mendacia jocosa, vel officiosa
conformiter dictis *n.* 698.

Juxta regulam universalem Laym.
lib. 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 5. ex Less.
omnis excessus, vel defectus in passioni-
bus animi de se indifferentibus, usuque re-
rum de se indifferentium, aut licitarum
per se loquendo venialis est; quo spe-
ctant excessus non enormes in cibo, po-
tu, usu matrimonij, ornatu vestium,
appetitu divitiarum, honoris, laudis,

recreationis, voluptatis licitæ, in tristi-
tia, timore &c. quia in his mediocrita-
tem attingere est difficile.

Querunt Theologi an peccatum ex
genere veniale sit proprie offensa DEI.
Communis affirmat cum Vasq. 3. *p.* D. 3.
cap. 2. Respondeo melius negari cum
Soarez *in* 3. *p.* *tom.* 1. D. 4. S. 11. quia
quod non opponitur directè gratiæ habi-
tuali, non est offensa DEI, sed veniale
ex genere non opponitur directè gratiæ
habituali, ergo &c. Major est S. Th.
3. *p.* *quest.* 86. *art.* 2. *in Corp.* *ex hoc*
inquit dicitur quis offensus alteri,
quod eum repellat à sua gratia: &
quest. 7. *de malo art.* 2. *ad* 10. *pecca-*
tum veniale, cum non importet aver-
sionem à DEO, non habet rationem
offense.

Dum S. Jacobus *cap.* 3. dicit: *in*
multis offendimus omnes, late sumitur
offensa, ac improprie pro culpa, seu
mali-

malitia, hæc enim formalitas inest omni peccato relate ad legem violatam: offensa vero propriè dicitur relate ad majestatem, dignitatem ac amicitiam offensi, quam quis peccando vilipendit.

Effectus peccati venialis non est imminutio gratiæ, & charitatis habitualis, sed actualis impediendo hujus fervorem, charitas enim actualis ferventissima (non fervore intensiõis, cum summa

non detur intensio, sed extensionis, dum se extendit ad omnia objecta DEO etiam leviter displicentia) non potest stare cum ullo veniali tunc enim quis amat ferventissime DEUM, quando per omnia se conformat ejus voluntati, venialiter autem peccans non se conformat per omnia.

* *
* *



§. I.

An veniale transeat in mortale ratione finis, damni contemptus & consuetudinis.

757. **D**ico primo, veniale transit in mortale ratione finis mortalis, ita omnes, ut si mentiaris propter fornicationem,

Dico secundo, veniale transit in mortale ratione damni prævisi, ut si ex tua levi garrulitate prævides orituras inimicitias, jurgia, aut tuo modico furto des exemplum, seu sis in causa, quod plures alij sint te æmulaturi cum gravi damno proximi, ita omnes.

Dico tertio, veniale fit mortale ratione contemptus formalis legis, aut præcipientis sive hic sit DEUS, sive homo. Ante probationem suppono contemptum esse vilipensionem rei, aut personæ: non est peccatum, quando est prudens, qualis est, dum res, aut persona non contemnitur infra dignita-

tem suam, est vero peccatum, quando est inordinata parvipensio.

Dividitur contemptus in externum, & internum, hic in intellectualem, & affectivum. Contemptus intellectualis est judicium rem, aut personam æstimans minus, quam par est, hic actus circa DEUM dicitur blasphemia, circa hominem temeritas. Affectivus contemptus est voluntas, quæ quis personæ, aut hujus præcepto, aut consilio, minus, quam mereatur, afficitur, vel ut loquitur Soarez, est volitio habendi vilem de alio æstimationem, aut certe illam verbo, aut opere ostendendi, aliisque ingenerandi.

Hæc affectiva vilipensio subdividitur in materialem, & formalem; materialis est, quando res, aut persona parvi

fit

fit absque directa intentione parvificiendi, id contingit in omnis legis violatione.

Formalis est, quando ista parvifensio directe intenditur, ut si violes præceptum, vel consilium aut aliud agas, aut ut præcipiens, aut consulens parvifiat, aut parvipendi credatur, sive quod perinde est, tunc quis formaliter contemnit, dum ideo peccat, quia renuit subjici superiori, vel legi: quod longe differt ab eo peccato, quod ex indignatione fit, nempe, dum quis ideo non obedit, quia vult displicere illi cujus personæ est iratus, renuitque eum hoc in re solatio afficere.

Contemptus externus est signum, sive opus expressivum interni contemptus procedens ex affectivo contemptu. Hoc supposito.

758. Probatur conclusio tertia, contemnens auctoritatem divinam, vel humanam mortaliter peccat, sed peccans ex formali contemptu hanc contemnit, quæ, cum sit eadem, sive res præcepta sit gravis, sive levis, ideo contemptus formalis semper est mortalis etsi præceptum sit de re levi, ita Pal. citandus num. 6. contra Cajet. Valent. Less.

Paret ulterius quod contemptus intellectualis DEI, id est, indigna ejus æstimatio semper sit mortalis, & præsupponat peccatum hæresis siquidem, vel negatur de DEO aliqua perfectio, aut attribuitur illi imperfectio.

Nihilominus si præceptum divinum sit leve contemptus ejus materialis, ut si ideo præcisè contemnitur, quia est res levis, probabiliter est solum veniale Less.

R. P. Karch. Diss.

lib. 2. c. 46. num. 46. contra Sanch. lib. 1. Decal. cap. 5. num. 5. quia non redundat in gravem DEI injuriam, imbibit enim hanc tacitam conditionem, si gravis esset irreverentia non contemnerem.

Hinc à fortiori legis humanæ leviter obligantis contemptus materialis est duntaxat venialis: imò etiam contemptus materialis superioris creati, non ut superior est, sed quatenus est persona privata habens aliquos defectus e. g. quod sit imprudens, fortis infimæ &c. & nolis ei parere in levi re per se est culpa levis, est tamen id valde periculosum, ita Herinx D. 7. nu. 64.

Ad clariorem conclusionis notitiam adverte primo, quod legis contemptus sit speciale peccatum distinctum ab ejus violatione, & ideo necessario est explicandum ex D. Th. 2. 2. qua. 186. art. 9. ut si omittas sacrum ex legis contemptu, præter peccatum omissionis sacri peccas peccato contemptus ejusdem legis, seu ideo etiam quia ex contemptu illam violas, siquidem peccares graviter contemnendo legem, esto non velles illam violare transgrediendo Sanch. lib. 1. Decal. cap. 5. num. 9. Pal. tom. 1. tract. 2. D. 2. p. 9. §. 2. n. 2.

Adverte secundo, contemptum legis non esse in determinata peccati specie, si enim sit circa DEUM, ejusque præcepta, & consilia est contra Religionem; si circa parentes, est contra pietatem; si circa superiores, est contra obedientiam, & observantiam debitam: si est contra personas alias minus, quam est par, has æstimando, est contra justitiam, cuivis enim ex justitia juxta ejus

Bbbb

meri-

meritum debetur reverentia, honor ac æstimatio, Pal. *num.* 3. quæ injustitia uti *num.* 6. *in fine* docet erit mortalis, aut venialis pro gravitate, aut levitate materiæ.

Dico quarto, peccatum veniale ratione consuetudinis non transit in mortale probatur consuetudo, vel sumitur pro ipso habitu genito ex frequentia actuum, vel pro ipsa actuum frequentia, seu multitudine, sed neutro titulo transit in mortale: non titulo habitus secundum om-

nes, quia hic secundum se non est peccatum, sed est necessarius effectus actus frequentati: non etiam titulo præcise multitudinis præcedentis hoc peccatum de se veniale, nam ex eo quod quis peccet consuetudinariè, non peccat ex contemptu, unde malè quidam confundunt contemptum cum peccato ex consuetudine, hoc enim connotat præcessisse multa peccata similia, secus contemptus.

* *



§. II.

An veniale ex genere ratione dispositionis evadat mortale.

759. **D**ixi ex genere, quia certum est, quod veniale, ex defectu perfectæ considerationis, aut defectu materiæ gravis per se disponat ad mortale, Vasq. 1. 2. *D.* 144. *num.* 8. dans rationem, quia tale veniale, & mortale differunt solum penes magis, & minus in eadem morali malitia.

Quæstio igitur est de veniali ex genere, seu objecto suo: & hoc secundum *D. Th.* 1. 2. *qu.* 88. *art.* 3. disponit dupliciter ad mortale: uno modo per quandam consecutionem, quatenus homo ita afficitur rebus parvis delectabilibus, ut periculum sit peccati ex genere suo mortalis: duo enim sunt in peccato ex genere veniali v. g. in verbis jocosis, nempe conversio ad bonum delectabile in

jocis apprehensum, & deflexio, seu aversio à regula rationis, titulo conversionis disponit animum ad constituendum finem ultimum in tali bono: titulo aversionis disponit ad mortale removendo prohibens videlicet subjectionem voluntatis ad DEUM, & hujus timorem (quæ subjectio, & timor detinent voluntatem, ne hæc feratur in objectum contrarium charitati) & hic est alter modus quo veniale ex genere disponit ad mortale.

Dicit autem *S. Th.* quod veniale per se disponat ad mortale, id est, uti exponit Vasq. *num.* 9. veniale ex se habet hoc, quod disponat per modum cujusdam consequentiæ (quatenus! homo frequenter venialiter peccans facilè adharet bono delectabili creato, minus timet culpam, hanc

hanc sine remorsu approbat: & ideo bona videtur consequentia: frequenter Petrus plenè advertens peccat venialiter, ergo est in eo periculum peccandi mortaliter, vel committet etiam mortalia juxta effatum Christi, Iuc. 16. *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est*) tum per accidens removendo prohibens, seu impedimenta mortalis, quæ ad quatuor capita revocantur.

Primum, est se subicere legi divinæ, & Sanctus DEI timor. Secundum, habitus intensus virtutum acquisitus. Tertium, copiosiores, & efficaciores gratiæ actuales. Quartum, fervor Charitatis: Omnium horum per frequentata venialia fit imminutio.

760. Respondeo nunc ad quæstionem peccata ex genere venialia semper aliquid ad mortale, ita omnes cum cit. S. Th. non omnia, sed plurima saltem indirectè sunt proxima dispositio.

Pars prima, constat ex D. Th. & numero priore: eamque ulterius confirmo ex Ecclesiastici cap. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*: & ex S. August. *serm. 44. de tempore* comparante venialia guttis pluviarum quæ licet sint exigua, flumina tamen complent. Ratio etiam est, quod, ut quis potentia morali perseveret in gratia, requiritur ex parte DEI collatio gratiæ efficaciæ, ex parte voluntatis fervor Charita-

tis per num. 754. in fine, timor DEI, & inclinatio ad operandum juxta regulam rationis, sed peccata venialia irritant DEUM ad neganda auxilia efficacia, ac imminuunt fervorem charitatis timoris DEI, ac inclinationis, nempe habitus acquisiti virtutum ad operandum juxta regulam rationis per num. 757. in fin.

Pars secunda, quod non omnia proxime disponant probatur, ubi est proxima ad formam dispositio, ibi est semper forma, sed dantur venialia sine ullo mortali, ut patet in multis viris sanctis nunquam lethaliter peccantibus; ergo non omnia venialia sunt proxima dispositio ad mortale.

Pars tertia, ostenditur: plurima venialia fiunt ex malitia, aut saltem ex perfecta deliberatione, sed talia proxime disponunt ad mortale, ergo plurima venialia proxime disponunt ad mortale, minor probatur qui passim, & sine ullo timore DEI malitiosè, aut plenè advertenter venialiter peccat, valde imminutum habent fervorem charitatis, magnam propensionem ad peccatum, frænum retrahens debile, utpote destituti illustrationibus divinis efficaciter proponentibus peccati scditatem &c. tales autem sunt in proximo periculo peccandi mortaliter, dum se offert occasio

materia gravis,

* *
* *





§. III.

*An peccata venialia ex genere sæpius multiplicata
fiant mortale?*

761, **T**Ripliciter multa venialia possunt facere unum mortale. Primo, utrum plura venialia, quorum quodlibet seorsim est veniale, nec materia unius continuatur cum materia alterius, faciat secundum se unum mortale. Secundo, an ex pluribus venialibus, quorum quodvis secundum se est veniale evadat aliquod mortale, quia sequitur ad plura venialia, quorum materia, aut effectus continuantur, & coalescunt in unum. Tertio, an voluntas committendi omnia venialia sit mortalis.

Dico primo, nulla multitudo venialium, quorum singula secundum se sunt venialia, nec ratione materiae, aut effectus coalescunt in unum, possunt unquam titulo solius multiplicationis efficere mortale, ita Theologi cum S. Th. 1. 2. qu. 88. art. 4. apud Rhodes arbitranter id esse de fide probatur ex Trid. Sess. 6. cap. 11. & can. 23. docente, *per venialia non amitti justitiam, & in justis esse peccata venialia juxta illud in multis offendimus omnes*, sed si venialia multiplicata facerent mortale, per illa amitteretur justitia. Confir. quodlibet eorum committitur solum cum advertentia ad levem malitiam, uti supponitur, ergo etiam collectivè sumpta nequeunt

esse mortale, simul enim sumpta non mutant suam essentiam.

762. Ex hac conclusione sunt verè sequentes sequelæ. Primo, non peccati mortaliter ab eo, qui singulis diebus paucos omittit in Breviario versiculos, aut singulis diebus jejuniij leviter violat jejunium, aut singulis diebus festis parum laborat, aut plura diversæ rationis vota singulis diebus obligantia non implet e. g. non orat quinque Pater & Ave, aut non dat Eleemosynam unius grossi, non abstinet à vitro vini &c. supponendo vota ejusmodi esse alligata diei. Ratio omnium, quia nullius actus materia mortaliter unitur cum materia alterius.

Oppositum dic, si vovens expressè intendat supplere altero die, quod est pridie omissum, sic enim materia unius diei augetur cum alia, Sporer p. 1. tract. 1. Proem. cap. 5. a num. 39. ad 42. amplians ad eum, qui ejusmodi peccata venialia omnia intenderet committere, proinde cuncta venialia unirentur sub una principali intentione. Ratio quia propositum ea committendi non potest pejus esse, quam sint actus intenti, sed omnes actus intenti sub uno proposito, ac in eo uniti solum sunt veniales, ergo etiam

am propositum committendi omnia est veniale.

Sanch. *Lib. 1. Decal. c. 4. n. 16.*
Bonac. *D. 2. de peccatis q. 3. p. 5. n. 29.*
faciunt reum mortalis plura modica vota sive ea sint rationis ejusdem, ut si voveas pro una die distinctis votis sex decades Rosarij, sive rationis diversæ ut uno decadem unam Rosarij, altero Eleemosynam unius grossi, tertio singulis horis elevare mentem in DEUM, dantes rationem, quod omnia illa vota uniantur in virtute Religionis, quibus etsi fateatur eorum sententiam esse probabilem, attamen contradicit Pal. *p. 1. tr. 2. D. 2. p. 9. §. 4. num. 11.* cum Soarez *Lib. 5. de voto c. 5. num. 11. & 12.* ubi affirmat promittentem singulis horis Elevationem mentis in DEUM, vel quoties missam audiet, nihil ex ea omittendum, & in pluribus horis non elevaret mentem in DEUM, in pluribus missis modicum omitteret, nunquam mortaliter peccaturum, quia, inquit, una materia cum alia non colligatur, seu quod perinde est, non uniantur inter se, & quidem ex mente Soarez vota etiam ejusdem rationis, cum det exemplum in voto singulis horis elevandi mentem in DEUM. Assentior de votis diversæ rationis, secus si sint de eadem materia. Secundò leviter delinquit, qui plures inducit die jejuniij ad modicam violationem, die Festo multos ad brevem laborem, Dominus multis famulis similem imperans, aut disponens, ut sibi succedant per totam diem singuli in modico labore: istud postremum videtur fraudem sapere, ac malè sonare teste Sporer *num. 42.* Ego censerem secluso scandalo consequentiam esse legitimam:

Dominus potest sine mortali multis mandare ut eodem tempore singuli laborent per unam horam, ergo etiam potest mandare ut sibi succedant singuli in labore unius horæ; utrique enim labores constituunt conjunctim notabilem.

763. Conclusioni videtur contrarius Vasq. *1. 2. D. 158. c. 6. num. 60.* docens frequentem legis transgressionem esse mortalem, quia notabiliter læditur finis Legis-Latoris, etsi aliàs esset venialis: idque patet in Religiosis, quorum Regulæ communes non obligare solent sub culpa gravi, imò nec sub levi, quos tamen passim violans peccat mortaliter, eo quod videatur eas contemnere, ac se exponere periculo transgrediendi vota juxta Sylvest. *verb. Religio. 1. q. 12. Disto 4. Valentia 2. 2. D. 10. q. 4. p. 5. vers. atque ita est.*

Verum negatur graviter lædi finem, cum enim actus violantes inter se non uniantur, uti supponitur, actus repetitus nequit notabilius violare, quam non repetitus.

Exemplum de Religiosis monstrat culpam gravem, si ex repetitis violationibus Religiosorum imminet periculum violandi vota, sed negatur quod repetitio inducat tale periculum.

Nihilominus ex alio capite peccat mortaliter, nempe quod graviter noceat disciplinæ Religiosæ, ceterosque non modicè scandalizet videntes eum passim garrere, cubicula ingredi, Epistolas clancularias scribere, &c. Præterea ejusmodi violator se reddit ineptum ad perseverandum in Religione, in qua tamen sub mortali tenetur perseverare, contra quam

obligationem agit passim transgrediens Regulas Pal. num. 3. ex Sanch. Lib. 6. in Decal. c. 4. à n. 18.

764. Dico secundò peccata secundum se venialia fiunt mortale, si plura præcesserunt, quando eorum materia, aut effectus est capax continuationis moralis, ut coalescant in unum, tunc enim actus complens materiam gravem, aut damnum grave evadit mortalis, qui aliàs, si ceteri non præcessissent, fuisset venialis, ita Pal. num. 4: Vasq. D. 146, c. 2. Sanch. Lib. 1. in Decal. c. 4. num. 9. Ratio est, quod materia ultimi actus unita moraliter cum præteritis fiat gravis, hoc autem ipso, si voluntas cum plena advertentia fertur in eam, evadit mortalis.

Exemplificant passim Doctores in furtis minutis moraliter continuatis, quorum illud, cujus materia de se levis juncta prioribus efficit quantitatem notabilem, fit mortale sive ea fiant eidem, sive diversis; in eo tamen est differentia, quod dum fiunt diversis, major requiratur quantitas, unde Mol. D. 689. determinat duplo, & adhuc majorem quantitatem postulat in furtis factis personis diversis. Rursus eò major quantitas est necessaria, quando minuta furtiva contingunt per majora intervalla, deficit enim magis unio damni unius. Et ideo Less. Lib. 2. c. 12. dub. 8. post. num. 46. exprimit famulum intra annos quatuor surripientem per nummos, aut crucigeros unum aureum non esse damnandum mortalis peccati, nec hujus facit reum à triginta mercatoribus singulos pacios auferentem Laym. Lib. 3. p. 1. c. 1. nu. 6. similiter probabiliter peccat solum venialiter, qui modicum furatur sciens alios

etiam modica furari, aut esse furatos absque omni suo consensu, & influxu esto advertat damnum grave inferri, quia ipse per furtum suum non nocet multum, nec cooperatur alijs, Lug. D. 16. de Just. num. 55. contra Mol. Vasq. & communiorum.

765. Colligitur ulterius primò quomodo is, qui singulis diebus facit modica debita e. g. mutuo accipiendo grossum, tandem fiat gravis debitor, nam omnes obligationes leves solvendi conflantur in unam gravem, debita enim minuta invicem unita moraliter efficiunt unum debitum grave per contractum.

Unio moralis interruptitur, seu continuatio furti sequentis cum præcedente vel per notabilem distantiam (qualis secundum Rebellum est quatuor annorum, secundum Sanch. unius anni, secundum Caspensem sex mensium) vel per pœnitentiam de præteritis, vel per propositum restituendi præterita, vel per impotentiam supervenientem restituendi præterita ante furtum complens gravitatem, Dian. p. 3. tr. 6. Resol. 25.

Colligitur secundò graviter contra justitiam agere illum, qui sæpe leviter vulnerat alterum, aut percutit, quando vulnus, aut percussio ex sequentibus propter unionem moralem cum prævijs nocet graviter.

Idem dic de detrahente alicui multis parvis detractionibus, ut tandem graviter famæ nocuerit: quod si detraxerit inadvertenter ad gravitatem, adhuc graviter obstringitur saltem ex charitate reparare damnum, imò etiam ex justitia, supposito, quod non reparatio famæ sit moralis detentio famæ alienæ. Vide Ros-

mer

mer in Opusc. de Just. & Fure folio
mibi 486.

Colligitur tertio graves esse fures obligatos restituere mercatores adulterantes modice pondera, & mensuras, ancillas, ac Oeconomus minutim clepentes ex rebus Dominorum, nisi hæc minutia sint in rebus comestibilibus non præciosis, nec dentur exteris, sed absumentur ab ipsis, etsi continuo fiant Sporer n. 46.

Colligitur quarto notabiliter peccati in temperantiam die jejuniij à sapius modicum comedente deveniendo ad complementum materiae gravis, aut si noxium cibum, vel potum sumas per intervalla cum advertentia lædendæ graviter sanitatis.

Colligitur quinto grave esse delictum contra Religionem primo sapius modicum die Festo laborando e. g. si excedas tempus duarum horarum, aut ex officio divino plura modica omittendo æquivalentia uni horæ minori (ita Soarez allegatus num. 762, loquens de vovente orare integrum officium, & in singulis horis omittente unum Psalmum, quia omnes omissiones adunantur in unum) aut qui plura vota de rebus modicis ejusdem rationis quavis die implenda negligit, dummodo materia tota, quæ adunantur in unum, sit notabilis, videtur esse contra Soarez cit.

766. Dico tertio propositum committendi omnia venialia, quæ committenda occurrunt, & vitandi sola mortalia per se, seu spectato præcisè eorum objecto non esse mortale, per accidens vero nempe ratione proximi periculi posse esse mortale. Ita Laym. Lib. 1. tr. 3. c. 5. num. Sanch. c. 5. n. 4. & c.

contra Pal. p. 1. tr. 2. D. 2. p. 9. §. 2. num. 5. Pars prima probatur is non peccat mortaliter, cujus objectum manet inter limites peccati venialis, sed sic proponens committere peccata venialia objectum manet inter limites peccati venialis, vellet enim displicere in omnibus, ac in nullo graviter, siquidem omnia illa committendo per se non peccat, nisi venialiter, ergo etiam volendo omnia committere per se non peccat, nisi leviter, representatio enim simultanea omnium secluso periculo non representat ullam gravitatem culpæ.

Pars secunda contra præfatos probatur ex num. 760. quisque se exponens proximo periculo gravis offensæ peccat graviter, sed proponens committere omnia venialia exponit se proximo periculo gravis offensæ uti ibi monstravi.

767. Arguunt adversarij primo si præfatum propositum esset mortale per accidens propter periculum, quisque sub mortali teneretur vitare aliqua venialia, si enim sub mortali teneretur non committere omnia, teneretur vitare aliqua sub eodem reatu, sed nulla venialia teneretur vitare sub mortali, quia nulla talia possunt assignari. Conf. commissio omnium venialium non est mortalis, ergo nec voluntas committendi omnia.

Respondeo ad primum distinguo majorem teneretur quisque vitare aliqua venialia determinata. Nego majorem, aliqua indeterminate, quatenus teneretur vellet non committere omnia, quæ occurrunt concedo majorem, sic distinctâ minori ad ejus probationem fateor nullum à nobis assignari posse determinatum, re ipsa autem aliquod esse, ad cujus existentiam

tiam ita fervor Charitatis, ac ubertas auxiliorum imminuitur, e contra inclinatio ad peccandum ita intenditur, ut sit impossibile moraliter citra uberius auxilium resistere gravi tentationi.

Ad confirmationem Respondeo quod commissio omnium se offerentium venialium non sit mortalis in non advertente ad periculum, secus inadvertente.

768. Arguunt secundò si venialia proximè disponerent ad mortale sequeretur quod voluntas committendi omnia venialia esset impossibilis cum firmo proposito vitandi omnia mortalia, sed non est impossibilis, quia vel esset impossibilis propter omnia venialia simul sumpta, vel propter aliquod specificum: non propter primum, quia nunquam simul committuntur: non propter secundum, quia aliquod veniale specificum esset mortale, quod repugnat. Confirmatur. Videmus plures venialia non multum curantes, re ipsa autem mortaliter, non peccantes, sed ab his magnopere abhorrentes.

Respondeo ad secundum concedo majorem, nego minorem ad probationem dico esse impossibilem propter annexum periculum mortaliter peccandi, hoc tamen periculum non esse annexum ulli determinato quoad nos, sed indeterminate, unde, cum nullo determinate peccemus cum advertentia ad tale periculum, ideo respectu nullius determinate com-

mittendi est obligatio gravis id vitandi, sed duntaxat est obligatio non habendi voluntatem committendi omnia, huic enim inseparabiliter est annexum periculum mortalis peccati, non propter omnia simul committenda, cum nunquam simul committantur, sed propter aliquod ex committendis indeterminatè.

Ad confirmationem nego assumptum loquendo de quibusvis venialibus, admitto autem de certis venialibus non ita periculosis, ut Officiosi Mendacis, &c.

Vide *num. 763.* cit. Valent. S. Th. 2. 2. q. 168. *Art. 9.* in quo docet Professionem Religiosorum principaliter cadere supra vota, secundario supra observantiam Regularem, Valentia vero negat obligationem tendendi ad perfectionem distinguere ab obligatione Professionis; unde Religiosus catenus peccat contra obligationem tendendi ad perfectionem, quatenus peccat contra vota, & Regulas, atque adeo ea, quæ graviter non opponuntur votis, & Regulis etiam non contrariantur graviter obligationi tendendi ad perfectionem, quia tamen passim violans Regulas labefactat disciplinam, ceteros scandalizat, sequere reddit ineptum ad perseverandum, talis proponens fervare duntaxat vota peccat mortaliter propter periculum non perseverandi, ut præmissi *n. 763.*





S. IV.

An veniale transeat in mortale ratione scandali remissivè.

769. **A**ffirmativa est certissima, ut si ex levi convitio praveas aliorum erupiturum in rixas.

Quid autem, & quotuplex sit scandalum copiosè discussi à num. 70. ad 78.

An Religiosus per levem de se actionem præbens occasionem violandi lethali-ter castitatem alienam peccat contra votum castitatis, ac incurrat casum reservatum, decidi à n. 74.

Scandalum leve contra castitatem transit in mortale externum contra castitatem, secus in mortale contra votum castitatis per n. 75.

Scandalum indirectum, an sit peccatum speciale contra charitatem, continèatque speciem peccati, cujus est datum scandalum, resolutum est num. 72. & seq.

Modus scandalizandi per actionem positivam multùm differt à modo scandalizandi per omissionem e, g. correctio-

nis fraternæ, iste enim non influit positivè, secus ille in ruinam proximi *juxta num. 73.*

Scandali activi materia utrum sint actiones indifferentes, fulissimè est disputatum à num. 117. usque ad num. 135.

An scandalizet petens, ac recipiens Sacramentum ab indigno ministro, examino à n. 235. ad n. 156.

Utrum sit scandalum permittere, aut positivè offerre proximo peccandi materiam à num. 175. usque ad 180.

Scandalum an præbeat fœmina se ornans pravedens aliquos ad illicita incitandos, de puncto hoc pluribus dissero à num. 180. ad 190. & n. 197.

An per jacturam temporalium sit obligatio aliquando impediendi proximi scandalum, resolvo à num. 198. ad 201.





§. V.

*Utrum veniale titulo periculi efficiatur mortale? ubi
utrum aditus, aut retentio periculi sit lethalis.*

770. **P**Rior pars §, est facilis solutionis, certum enim est id effici, amans enim periculum proximum peccati mortalis peccat mortaliter juxta illud Eccl. *qui amat periculum, peribit in illo*, atqui sæpe committens veniale ex genere cum prævisione proximi periculi peccandi mortaliter amat proximum periculum mortalis peccati, ut si prævides, quod ex levi excessu in potu, conversatione cum altero sexu de se non mortali, ut plurimum sis expertus te incidisse in fornicationem, vel pollutionem voluntariam, peccas mortaliter peccato fornicationis, aut pollutionis excedendo in potu aut conversando inordinate inordinatione in se levi cum tali persona, dum prævides ejusmodi periculum. Ratio datur à Soarez *tom. 5. in 3. p. D. 18. S. 3. num. 16.* approbata à Pal. *p. 1. tract. 2. D. 2. p. 9. §. 3. num. 1.* quia eodem præcepto, quo teneris cavere peccatum mortale, debes vitare periculum proximum ejusdem, aliàs, si potes facile, & non vis, censeris amare peccatum cujus est periculum. Et ideo Sanch. *lib. 1. Decal. cap. 8. num. 4.* rectè infert se exponentem tali periculo obligari explicare peccatum cum omnibus circumstantijs, cujus periculum adivit.

Ut autem pars posterior §. decidatur necesse est exponere naturam, ac multipliciter periculi.

Quid, & quotuplex sit periculum?

771. **N**Otandum primo, quod occasio peccandi sit duplex, proxima, & remota: proxima communiter describitur cum Soarez *de Pœnit. D. 32. S. 2. num. 4.* quæ eâ genere suo est talis, ut frequenter homines similis conditionis inducat ad tale peccatum, vel experientia constat in hoc homine talem effectum habere. Remota est omnis alia peccandi occasio frequenter non conjuncta cum peccato.

Occasio proxima essentialiter constituitur per duo prædicata: unum est circumstantia nobis extrinseca, ut conversatio cum certa persona, cohabitatio, officium, mercatura &c. alterum est periculum formale, seu proximum peccandi. Ratio, quia sola extrinseca circumstantia nequit esse occasio proxima, cum multi conversentur aut cohabitent &c. quin sint in occasione proxima peccandi, sunt vero in tali per accessum periculi proximi.

Est

Est autem periculum peccandi nihil aliud, quam inclinatio ad futuritionem peccati: hæc inclinatio nec est actus voluntatis, nec intellectus; sed ejus nomine venit motivum antecedens, ex quo prudenter colligitur peccatum futurum, non quod re ipsa sit futurum, cum sæpe existat periculum illius, quin sit futurum, sed quod inclinet ad peccati sequelam. Essentia itaque periculi consistit in motivo inclinativo ad peccatum, futuritio vero peccati est terminus dictæ inclinationis.

772. Notandum secundo, periculum dividi primo in certum, probabile, & leve, quando inclinatio motivi est tam vehemens, ut morali certitudine sit futurum peccatum, dicitur certum, probabile vero, dum adsunt rationes probabiliter suasivæ futuritionis peccati, ut si quis fragilis, timoratus tamen conversetur cum femina lasciva, fragilitas juncta occasione secluso timore DEI persuaderet morali certitudine lapsum futurum, at DEI timor annexus retundit vim electivam ad peccatum, facitque, ut nunc in conjunctione cum timore DEI sit solum motivum probabile futuri lapsus.

Hinc bene advertendum, quod dum dicitur periculum probabile, probabilitas non appellet existentiam periculi, sed futuritionis peccati, nam periculum etiam probabile est certum in existendo, probabile vero solum in illatione futuritionis peccati quod evidenter probatur e. g. Petrus decumbit ex morbo gravi, ita ut salus non sit desperata, malignitas tamen humorum inclinat ad mortem: in hoc casu est probabile periculum mortis non probabilitate periculi, sed probabilitate

futuritionis mortis, si enim foret periculum probabile probabilitate periculi, tunc etiam esset probabile nullum existere periculum mortis, sed est evidenter falsum nullum existere periculum mortis, cum certo existat: hæc tamen certa periculi existentia non habet certum nexum cum futuritione mortis. Igitur certum, & probabile periculum mortis concordant in eo, quod utriusque existentia sit certa, differunt, quod in certo sit certa, in probabil incerta, seu probabilis illatio mortis futuræ.

Quando motivum inclinans ad peccatum adeo remisse inclinatur, ut non queat fundare, nisi suspicionem, aut formidinem peccati futuri, ut dum homo valde timoratus nunquam solitus carnaliter labi, vult ingredi domum famina pulchræ, visâ ejus specie suspicatur, aut timet se forte lapsurum, dicitur periculum leve, seu remotum.

773. Notandum tertio, periculum dividi secundo in intrinsecum, & extrinsecum, & mixtum: intrinsecum fundatur in motivo nobis intrinseco e. g. in fragilitate propria, habitu virioso.

Extrinsecum est, quod provenit nobis ab aliquo extra nos, nempe à circumstantia, sive occasione extrinseca e. g. ex cohabitatione, conversatione, violentia, metu, amici vehementer suasio- ne peccati. Mixtum ex utroque est occasio externa juncta propria fragilitati, & istud communiter venit nomine periculi peccandi.

Tertia, periculi divisio ad præsens instinctum valde necessaria est, est in periculum formale, & materiale: nomine hujus venit ipsa circumstantia extrinseca,

sive occasio provocans ad lapsum: formale est illud, quod consideratis omnibus circumstantiis extrinsecis, & intrinsecis hæcenus expositis inclinatur vehementer ad lapsum. Sint duo homines afflicti peccare in certa domo, uterque eam ingrediatur, sed unus cum remisso proposito non peccandi, alter ex causa necessaria cum firmo, ac intenso proposito non labendi concepto ex DEI timore, adjectisque precibus pro speciali auxilio constantiæ impetrandæ, his munitus præsidij confidens in domino se non lapsum ingreditur; vel maxime persuasus, quod sit constantiam expertus in ijs, quæ firmiter decreverat. Rogas an uterque horum ingrediens incurrat formale relapsus periculum.

Respondeo secundum non incurre, quia firmitas propositi, preces fusæ, necessitas ingrediendi fiducia DEI ope roborata, potest fundare iudicium moraliter certum de securitate, dicta enim remedia extenuant periculum, ut non censeatur amplius formale, sive proximum, id est, vehementer inclinans ad lapsum: è contra in primo tepiditas propositi non minuit periculum, sed remanet formale.

774. Quarta periculi divisio est in voluntarium, & necessarium: illud est quod nullâ necessitate, seu cogente iustâ causâ aditur, aut retinetur: si autem subest iustâ causa, sive necessaria dicitur necessarium, sive involuntarium. Necessarium potest esse dupliciter tale, nempe necessitate vel Theologicâ, qualis est proveniens ex præcepto charitatis, aut iustitiæ, tale periculum subit Chyrurgus, aut Medicus ex præcepto charitatis, aut iustitiæ medens partibus secretis fœminæ

patientis extremam necessitatem; item is, qui citra infamiam non potest domo cedere, nec fœmiam sibi periculosam expellere.

Aliud periculum necessarium est tale necessitate physicâ, vel morali, sic physicè est necessaria occasio incarcerationis cohabitanti fœminæ etiam incarcerationis: moraliter vero est filia familias necessaria occasio ex juvene, quem nequit expellere.

Bene autem advertendum monet *Cardenas in crisi ad proposit. 65. Innoc. XI. Dissert. 40. num. 22.* quod necessitas periculi non cadat, nisi supra externam circumstantiam, seu occasionem materialiter sumptam, proxima enim præter occasionem externam includit circumstantias etiam intrinsecas passionum, habitus vitiosi &c. sed quoad circumstantias intrinsecas nunquam potest esse necessitas, siquidem est liberum homini, propriæ fragilitati, pravo habitu, ac tentationi resistere. Vide cit. *Cardenas*, quo nemo clarius discussit locis citatis naturam periculi peccandi, quæ materia est quotidianæ praxis sed multum intricata, de qua fuse *Dicastill. de Pœnit. D. 6. à num. 327. ad 377.* *Lugo de Pœnit. D. 14. S. 10.* *Moya in Select. tract. 3, D. 7. à num. 4.*

775. Unde sequitur primo, evidenter, quod occasio proxima ut talis (idem dic de periculo proximo, seu formali) nunquam possit esse necessaria, quia pars constitutiva est libere tollibilis, videlicet intrinsecæ circumstantiæ, de quibus vide notandum 3.

Sequitur secundo, quod omnis occasio proxima peccandi dicat periculum pro-

proximum peccandi, non tamen vicissim, quia potest dari periculum proximum peccandi sine omni occasione nobis extrinseca, ut patet in se polluentibus ex consuetudine, hi sunt constituti in proximo periculo pollutionis, secus in occasione proxima, ad quam requiritur circumstantia extrinseca, Cardenas *num. 9.*

Sequitur tertio, occasionem proximam peccandi converti cum periculo formali, seu proximo, ac per hoc illam bene explicari: unde iisdem modis, quibus formale periculum transit in materiale, transit etiam occasio proxima in non proximam, sive in remotam, Cardenas *cit. Diss. n. 6.*

Periculum autem proximum, sive formale peccandi potest tripliciter extenuari, sive aboleri. Primo, per actus externos, nimirum per remotionem occasionis externæ. Secundo, retentâ occasione per actus internos virtutum se roborando adversus passionem, vitiosum habitum, tentationem urgentem. Tertio, per actus tam internos, quam externos. Hinc.

Sequitur quarto, cum sit obligatio, mortalis faciendi ex periculo formali, seu proximo materiale, & remotum, esse obligationem mortalem arripiendi unum ex allatis tribus medijs, nempe aut deserendi occasionem, aut per actus internos reddendi hanc enervem, vel si non sufficiunt, quando passio, habitus, & tentatio sunt vehementes, tunc enim actus interni cum auxilijs ordinarijs non possunt elici, nisi valde remissi, ac tepidi, per quales actus periculum proximum

non reducit ad materiale, & remotum.

776. Est autem uti experientia constat cæteris passionibus vehementior passio luxuriæ; *magis per carnis luxuriam*, inquit S. Isidorus *lib. de Summo bono* (& ex illo S. Th. 2. 2. *quest. 154. art. 3. ad 1.*) *humanum genus subditur diabolo, quam per aliquod aliud, quia scilicet est difficilius vincere vehementiam huiusmodi passionis ubi est*, ait S. August. *lib. de Agone Christiano, quotidiana pugna, & rara victoria.* Idcirco ad hanc tollendam vehementiam est necessitas fugiendi occasionem externam.

Proxima Luxuriæ passioni est avaritia sita in vehemente divitiarum cupiditate, ubi enim hæc invaluit, est malorum omnium radix teste Apost. *1. ad Timoth. 6.*

In simili classe est magna iracundia, quæ suffragante experientia non extenuatur, nisi diligenter occasio externa irascendi etiam in hominibus virtuti deditis vitetur.

In cæteris, in quibus nec est passio vehemens, nec vitiosus habitus adeo intensus, nec tentatio valde urgens, communiter non est obligatio vitandi externam occasionem, ut si quis ex conversatione cum amicis omittat aliquando misfam præceptam. His ita prænotatis, ac apprimè pro usu quotidiano in sacro tribunali memoria tenendis, descendo ad decisionem secundæ par-

tis §. quinti.

* *

Deciditur, an adire, aut retinere peccandi periculum sit mortale?

777. **D**ico primo, aditus, aut retentio occasionis proximæ, sive periculi formalis ut talis in materia gravi est semper peccatum mortale, ita omnes Theologi apud Carden. cit. *Dissert.* 40. num. 54. probatur mortale est voluntarie adire, aut retinere occasionem proximam, seu periculum proximum mortaliter peccandi, sed occasionis proximæ ut talis, seu periculi proximi ut talis aditus, aut retentio est semper voluntaria per num. 773. Major probatur ex Matth. 5. *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum &c.* per oculum dexterum, & manum dexteram S. Chrysoft. intelligit concubinam, ceteri SS. Patres cum Aug. lib. de *Sermone Domini &c.* universalius intelligunt omnem occasionem cujusvis personæ provocantem ad peccatum.

Hinc justè Innoc. XI. damnat hanc propositionem ordine 62. *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit, & 63. licitum est querere directè occasionem proximam peccandi pro bono Spirituali, aut temporali nostro, vel proximi.*

778. Dico secundo, adire periculum probabile peccandi explicatum num. 772. absque necessitate est mortale Carden. num. 40. ex communi contra Caramuel postea retractantem, Murciam, quos videtur sequi Gobat *Theolog. Ex-*

perim. tract. 7. num. 726. casu 16. probatur nulli absque mortali est licitum subire absque necessitate malum certò animæ grave, talis enim omnium judicio imprudentissimè ageret, sicut nemo à mortali imprudentia exculparet eum, qui citra necessitatem vitam exponeret periculo probabili mortis, atqui adiens absque necessitate periculum probabile mortaliter peccandi subit malum certò animæ grave, nimirum periculum amittendi gratiam, quod est longè gravius periculo amittendæ vitæ, ergo illi absque necessitate non est licitum adire probabile periculum mortaliter peccandi, consequentia hæc urgetur, quod charitas erga seipsum obliget sub mortali, ut quisque quantum moraliter fieri potest se reddat securum à summo malo, quale est amissio summi boni per amissam gratiam.

Opponit Caramuel sequens Sophisma in *Theolog. Regul. D. 70. n. 1058.* datur periculum probabile peccandi, ergo probabile est periculum peccati, & probabile est nullum dari probabile periculum peccati: Sophisma constat ex num. 772. transit enim argumentans à probabilitate futuri periculi, ad non probabilitatem ipsius periculi, cum tamen sit certa existentia periculi, solumque probabilitas cadit supra futuritionem, & non futuritionem peccati, concessio igitur antecedente nego consequentiam. Ex his.

Deduco primo, quod spontaneus aditus periculi probabilis peccandi mortaliter sit peccatum ejusdem speciei cum peccato, cujus committendi periculo se exponit per n. 770.

Deduco secundo, quod occasio extrin-

trinseca probabilis peccandi sit eo ipso occasio proxima peccandi, proinde ad occasionem proximam peccandi dico non requiri periculum certum, sed sufficere probabile, Carden. *num.* 47. Sanch. *lib.* 1. *Decal.* c. 8. *num.* 1. & 3. & quotquot asserunt in proximo periculo versari eum, qui credit se in occasione tali frequenter, aut fere semper peccaturum, ita Soarez ex descriptione occasionis proximæ, quam amplectitur etiam Lugo *num.* 149. *Pal.* p. 1. *tr.* 2. *D.* 1. p. 9. §. 3. n. 2.

779. Dico tertio; dum occasio externa, sive periculum materialiter acceptum vitari non potest ejus aditus, aut retentio caret peccato: contra est mortifera, quando est moralis potestas tollendi occasionem proximam, si occasione sit conjuncta vehemens passio, aut habitus pravus, aut acris suggestio, & à fortiori, si hæc sunt simul associata. Hæc secunda pars eruitur ex sequela quarta *num.* 775. quia tunc est unicus modus extenuandi formale periculum per amotionem occasionis, quæ supponitur mortaliter amovibilis.

Probatur etiam pars prima, quod tunc periculum materiale non sit voluntarium, sed necessarium, in quod non cadit sententia Christi, de qua in conclusione prima, non enim amat, sed patitur periculum, nec hoc est formaliter peccatum, sed duntaxat occasio ejus, ita *Pal.* *num.* 8. Soarez, Sanchez contra alios. Ut autem hoc sit verum, debet sub peccato mortali per actus proprios virtutum extinguere periculum formale armando se adversus occasionem externam, nisi enim id faciat, jam se exponit

voluntariè formali periculo mortaliter peccandi.

Unde filiusfamilias impotens ejicere domo concubinam, nec potens moraliter domum deserere paternam tenetur sub mortali procurare actus proprios internos, quibus extenuet formale periculum.

780. Ex his oritur difficultas periculosa resolutionis, & in particularibus casibus difficillimæ, nempe quanta debeat esse incommoditas, quæ sufficiat, quominus quis cogatur externam occasionem deserere.

Communis Theologorum deposcit causam urgentem, ac asserentem gravissima incommoda. Alij specialius loquentes exigunt grave detrimentum spirituale, vel temporale, inter quos Dicastell. *num.* 340. ait, quando non potest occasio relinqui sine scandalo, gravi infamia, aut damno gravi spirituali, vel temporali, potest quis absolvi, licet nolit occasionem deserere.

Joannes Sanch. in *Select.* *D.* 10. *num.* 20. tria docet. Primo esse absolvendum non expellentem domo concubinam, cui dedit mutuo centum aureos, quos spes nulla est recuperandi eâ ejecta, Secundò extendit id ipsum, si concubina nimis utilis esset ad lucranda bona temporalia mediâ negotiatione. Tertio ampliat, si concubina nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, dum deficiente illo nimis agrè vitam ageret, & alia epule radio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

Omnes

Omnes tres propositiones ut improbabiles merito rejicit Arriag. *de Pœnit. D. 38. num. 36.* Tertiam damnat Alexand. VII. Proposit. 41. omnes tres proferri ab Innocent. XI. ostendit Carden. *Dissert. 40. num. 151. in Proposit. 62. relata num. 777.*

Respondeo ergo ad difficultatem, & dico quartò nulla causa excusat ad non deferendum periculum formale, sive occasionem proximam peccandi. Conclusio est certa supposita conclusione primâ, cum semper sit homini liberum avertere occasionem proximam, & formale periculum, sed hoc ipso nulla causa potest excusare ad eam ut talem retinendam. Major est Carden. *Crisis Theolog. Disp. 18. num. 102.* Minor est ejusdem *num. 204.* docentis nullum præceptum obligare ad se exponendum periculo formali peccandi.

Dicò quintò, ut licitè possit adiri, aut retineri occasio externa peccandi, requiritur, & sola sufficit impossibilitas physica, aut moralis eam non adeundi, vel deferendi, *cit. Dissert. 40.* Carden. *num. 132.* probatur, quando non sufficit causa honesta, & utilis, requiritur necessaria reddens oppositum physicè, aut moraliter impossibile, sed ut adeatur, vel retineatur occasio externa, non sufficit causa honesta, nec utilis secundum damnatam proposit. 62. adductam *num. 777.* ergo requiritur causa necessaria reddens oppositum physicè, aut moraliter impossibile. Confirmatur quando non est physica, aut moralis impossibilitas, potest sine magna difficultate occasio non adiri, aut habita deferri, sed si sic, ejus

aditus, aut retentio est voluntaria, proinde mortaliter culpabilis.

781. Quares quæ sit dignoscendi Regula, quod hæc, aut illa incommoditas reddat physicam, aut moralem impotentiam non adeundi occasionem peccandi externam, aut habitam deferendi. Respondeo Regulam universalem, & certam ob multipliciter circumstantiarum dari est impossibile, sed juxta communem Doctorum sententiam est relinquendum prudenti judicio Confessarij.

Pro praxi tamen sic exponit P. Paulus legneri *in Instrucl. Confessarij c. 5.* præceptum, inquit, fugiendi occasionem impositum est à lege naturali ad minuenda, non ad augenda peccata, quando igitur difficilior est in praxi tollere occasionem, quam hæc stante reipsa evitare peccatum, non potest esse obligatio deferendi.

Coincidit doctrina Antonij Perez *de Pœnit. D. 3. c. 4. num. 64.* tres requirentis conditiones ad obligationem deferendi. Prima est, quod retentâ occasione probabiliter in ea sit peccatum futurum, præferim, si impossibile sit non futurum. Secunda quod vitatio occasionis sit efficax fuga peccati, id est, tollat probabilitatem de futuro peccato. Tertia quod vitatio occasionis non inducat majus peccandi periculum, quam sit ipsa occasio vitanda, neque sit difficilior vitatio occasionis aliâ licitâ, quam vitare peccatum post deferatam occasionem, obligatio enim vitandi occasionis imponitur à lege naturali ex fine minuendi periculum peccati, ergo nequit esse obligatio vitandi, quando vi-

tatio

ratio occasionis auget periculum peccandi.

Hinc *num. 66.* infert filium familias non teneri exire domo paternâ, in qua habet concubinam, dum illi est intollerabilius deserere domum, quam non succumbere occasione peccandi, & obligatio domum vitandi præberet illi majorem peccandi occasionem.

Illatio hæc à fortiori habet locum in filiafamilias, habente domi complicem fornicationis.

Eandem doctrinam applicat periculo peccandi in officio, dum istud est necessarium medium vitam sustinendi, si autem facile deserit potest, & tamen vitam sustentari, est indubitata deserendi obligatio.

782. Duo obijciuntur contra primam partem conclusionis tertiæ, & conclus. quintam quoad obligationem moralem. Primo, filiusfamilias aut Filiafamilias tenetur domum paternam fugere dum ea incendio conflagrat, etsi fuga sit moraliter impossibilis, ergo etiam tenetur fugere incendium Spirituale animæ cum morali impossibilitate fugiendi. Secundo, ob centum aureos moraliter necessarios ad vitam sustentationem non licet se exponere periculo favientis Leonis, ergo nec periculo peccandi.

Respondeo ad primum, negando consequentiam quia manendo in domo conflagraret certo sine spe conservandi vitam, è contra sine fuga externa occasione potest vitare peccatum extenuando periculum formale per actus de quibus *num. 773.*

Exemplum ab incendio ductum evincit solummodo, quod etiam propter ex-

R. P. Karch, Diff.

tremam necessitatem vitandam non possit ullus se exponere periculo proximo, seu formali lethaliter peccandi juxta conclusionem quartam, secus quod nequeat vitari occasio externa. Hinc.

Ad secundum Respondeo consequentiam esse bonam de periculo peccandi formali, per *num. 780. Vers. Respondeo ergo.* de materiali vero, & de occasione externa non valet, disparitas est, quod in antecedenti non supersit aliud medium vitandi mortis periculum, quam non acceptando centum aureos, oppositum dic de consequenti, de quo mox plura.

Plura practica quesita de proximo peccandi periculo examinantur.

783. **Q**uaeres primò, Titia, cohabitabat thoraliter Caeso obligato illi solvere centum aureos, vel vero Titia dedit Cajus mutuos totidem, si Titia deserat cohabitationem, amitteret centum aureos, similiter Caes, si illam domo pellat periclitatur manifestè de suorum amissione, potestne alteruter absolvi nempe Titia sine obligatione cohabitationem deserendi, & Caes quin expellat Titiam?

Ratio simpliciter affirmandi est, quod centum aureorum amissio videatur moralis necessitas retinenda occasione excusans à peccato per *conclus. 5. num. 780.* & ita tradit Joan. Sanch. in *Select. D. 10. num. 20.* Navarr. *summa cap. 3. num. 26.*

Responder Pal. *p. 1. tract. 2. D. 2. p. 9. §. 3. num. 14.* non excusandum.

Dddd

fi

si occasio sit diuturna, & graviter moveat, neque ex amissio debito grave damnam patiatur sed est deferenda occasio.

Respondeo conformiter dictis *num.* 780. in conclus. quinta negative, nisi centum aurei sint necessarij moraliter ad vitæ sustentationem, ut si sine illis non nisi ægerrimæ possit vivere.

784. Quæres secundo, an sit obligatio fugiendi occasionem externam, quando hæc moraliter non est vitabilis, ex altera vero parte Confessarius judicat concubinarium mansurum in periculo formali, ut si est moraliter certus illum non adhibiturum media necessaria Spiritu- alia, ut ab intrinseco, id est, per actus internos tollatur formale periculum. Respondeo negative, quia ex duobus medijs, uno moraliter impossibili, altero moraliter possibili ad consecutionem finis non est obligatio eligendi moraliter impossibile, dum potest eligi moraliter possibile, etsi supponatur quis nolle ponere moraliter possibile, etsi enim nolit hoc ponere, potest tamen ponere, & licet tunc maneat in periculo, attamen non est obligatio vincendi moralem impossibilitatem, quia stante hoc potest formale periculum fugere per actus internos, quos si nolit adhibere, est incapax absolutionis, Cardenas *Crisis Theolog. Disput. 18. n. 194.*

785. Quæres tertio, quid si moralis impossibilitas vitandi occasionem externam concurrat cum morali impossibilitate extenuandi periculum proximum peccandi per efficac propositum non peccandi, ut si puella omnibus vitæ medijs destituta alatur à concubinario, qui eam certo expellet domo, si commercium re-

cuset: hoc casu complicatur occasio externa, & proximum, seu formale periculum: neutra pars est moraliter vitabilis; non occasio, quia, nisi in eo perseveret, non habet alimenta; non formale periculum, quia nequit habere efficac propositum manendo, nisi resistat, si autem resistit, certo ejicitur. Respondeo puellam obligari domo egredi, Carden. cit. *Dissert. 40. num. 146.* quia quando medium moraliter impossibile est unico necessarium evitandi peccatum mortale, est obligatio id eligendi, ut ex terminis est notum, cum mortale sit vitandum etiam cum vitæ jactura, sed in hoc casu fuga hujus domus est medium unice necessarium evitandi peccatum mortale, ergo est obligatio eligendi fugam hujus domus. Quapropter hæc puella non est absolvenda priusquam sponte deserat occasionem, quia est urgentissimum indicium inefficacis propositi, si egredi nolit sponte, sed duntaxat vi expulsa, est enim moraliter certa se expellendam, nisi consentiat, sed cum certitudine, & cum nolitione sponte egrediendi, non potest stare efficac propositum, sed indicat quod volendo persistere velit continuare concubinatum, Carden. *num. 150.*

786. Quæres quarto, an impossibilitas Theologica deferendi occasionem externam, id est, proveniens ex præcepto (de qua *num. 774.*) liberet à peccato retentionem occasionis, aut ejusdem aditum e. g. scemina est in vitæ periculo, nisi Chyrurgus v. g. Petrus secretis partibus applicet medelam, hic autem experientia didicit se inde ordinariè labi in voluntatis pollutiones, is necessitate Theologica

logici vi præcepti Charitatis, imò etiam iustitiæ si sit stipendiatus, debet mederi, teneturne mederi, aut declinare occasionem lapsus non medendo. Respondeo obligari ad medendum, Carden. cit. *Disp. 18. num. 205.* quia in concursu duorum præceptorum compossibile, est utrumque implendum, sed hic est concursus similis, nempe præceptum operæ ferendi proximo, & præceptum declinandi formale periculum, seu occasionem externam peccandi; estque utrumque implebile, primum medendo, secundum extenuando formale periculum per actus proprios juxta *num. 773.*

Dixi imò etiam *Fustitia &c.* quia si non sit obligatio ex Iustitia, essetque alius, qui posset mederi, non posset Petrus ejusmodi obsequium præstare (nisi medela foret moraliter necessaria ad sui sustentationem) conscius suæ fragilitatis, & lapsus frequentis, etsi proponeret emendare, quia hoc propositum ob tenuitatem adversus vehementiam passionis est inefficax ad tollendum formale periculum per *num. 775. & 776.*

Resolutio data ad quæstionem procedit in pluribus similibus eventibus, ut in Parocho ex Iustitia obstricto audire confitentes etiam sæminas Parochianas, in quarum confessionibus experitur ordinarie pollutiones voluntarias, seu cum consensu. In Religioso adstricto ad eandem ex obedientiæ præcepto. Uterque periculum materiale non amat, sed patitur (nempe si alia via evadendi non superest) Pal. *num. 113.* Rhodes. *de peccatis D. 1. 7. 3. S. 2.*

Notantur dixi: *Si alia via evadendi non superest:* nam si Parochus po-

test habere Vicarium, tenetur ad conducendum, ut evitet occasionem, cum aliter nequeat extenuari formale periculum: aut si habet patrimonium sufficiens debet Officium resignare; Religiosus vero debet à superiore petere liberari à tali functione, si potest sine nota infamia, cit. Pal.

787. Quæres quintò an pœnitens sapius absolutus propter grave detrimentum, ne scilicet faceret jacturam bonorum temporalium moraliter necessariorum ad vitam (quam jacturam subiret remota à se occasione) sed semper relabitur sine ulla emendatione, sit cogendus ad istam jacturam pro obrinenda absolutione. Affirmat Soares *de Pœnit. D. 32. S. 2.* in fine.

Respondeo per se loquendo negativè cum Dicastill. *de Pœnit. D. 6. n. 354.* Lugo *de Pœnit. D. 14. n. 156.* Ratio, quia adhuc stare potest verus dolor cum vero proposito absque voluntate deferendi occasionem cum tanto damno.

Dixi per se loquendo, nam per accidens est locus sententiæ Suarij, potest enim aliquando, imò debet Confessarius absolutionem differre, quoniam frequens relapsus potest fundare prudentem præsumptionem inefficacis propositi, istud enim dum est efficax, non solet tam facile, aut tam cito infringi circa id, quod moraliter præstari potest Lugo *n. 160.*

Dubitabis an dicta de obligatione vitandi occasionem peccandi procedant non tantum respectu peccati determinati in specie, sed etiam in communi, seu in genere, ut si ex conversatione cum amico labaris sepe nunc in peccatum luxu-

ria, nunc furti, nunc ebrietatis, &c. Respondeo affirmative cum Lugo à num. 161. Dicastill. à num. 359. quia non minùs peccatum mortale in communi est vitandum, quam determinatum, seu in specie, quando est medium moraliter possibile illud subterfugendi, uti moraliter vitari potest certa persona, aut certa domus, aut etiam si plures personæ, aut domus sint vitandæ, possuntque moraliter vitari, dummodo non sint multæ. Hinc viduus oneratus copia prolium tenerarum, pro quibus carere non potest aliquâ femînâ, nec uxorem habere potest defectu mediorem, aut non datur femina volens illi nubere, ille autem est in proximo periculo peccandi cum femina conductâ qualicumque sive senæ: sive juvene, ejusmodi viduus non potest obligari ad præsentem, quam habet, dimittendam, quia per hujus dimissionem non cessat periculum cum alia assumenda. Hic ergo curandus est alijs remedijs differendo ad tempus absolutionem.

Opportunè potest inquiri quibus sit neganda, aut differenda absolutio, & quando pœnitens præbeat indicia dubie, aut debite dispositionis pro absolutione?

788. **E**Xistimo non fore ingratum Confessarijs præsertim junioribus, si arreptâ occasione ex periculo peccandi, de quo §. quinti est titulus, descendam ad enodandas difficultates, quas attingit præsens mota inquisitio, habentque nexum cum peccandi periculo.

Nulli impertiri posse absolutionis beneficium, qui voluntariè retinet occasionem externam proximam peccandi, liquidum est ex num. 780. eo quod ejus retentio sit mortaliter mala.

Difficultas prima est, an potens moraliter deferere occasionem proximam peccandi possit saltem primâ vice absolvi, antequam illam deferat cum firmo proposito illam tollendi.

Conspirant universi Doctores publicum concubinarium non esse publicè absolvendum etiam primâ vice ante ejectionem concubinam, quia talis absolutio esset scandalosa, Platelius p. 5. *Cursus Theologici* num. 848. An autem privatim possit absolvi est eadem difficultas, ac de eo, cujus concubinatus est secretus, de quo præsens est quaestio, ad quam quid sentiant Doctores referam, priusquam respondeam.

Occultum concubinarium posse absolvi primâ vice, imò etiam secunda docet Pal. 1. p. tr. 2. D. 2. p. 9. §. 3. n. 18. monet tamen rarò esse absolvendum ante ejectionem præsertim ex jis, qui semel intra annum confitentur, quod extendit et si Confessarius rite judicaret dispositum, quia et si tunc non ageret contra munus Judicis, ageret tamen contra munus Medici, qui præcavere debet futura mala, quibus se implicent ejusmodi, si absoluti ante amotam occasionem dimittantur, uti docet experientia.

Moya de Pœnit. tr. 3. D. 7. q. 5. num. 8. antecedenter à Confessario non reprehensum, modo autem correptum, si advertat extraordinarium dolorem, ac propositum efficacissimum relinquendi statim

statim occasionem, potest denuo absolvi, quia Confessarius nondum est expertus fractionem propositi tam efficacis, & ideo potest prudentissime judicare esse rite dispositum.

In eandem opinionem conspirat Lugo de Pœnit. D. 14. num. 151. existimans, quod præfatus extraordinarius dolor cum extraordinario proposito non peccandi cum femina domi retenta faciat ex occasione proxima non proximam, quia sic armatus est multo fortior, quam erat prius, potestque probabilis de ipso sperari victoria tentationum, quibus antea semper succumbebat. Ampliat, ad eum, qui non relicta occasione e.g. femina domesticâ proponit alia media adhibere, ut si proponeret nunquam solus cum sola colloqui, aut inveniri, ejus aspectum pro virili fugere, &c.

Id ipsum amplectitur Tamb. in Methodo Expedit. Confess. lib. 3. c. 3. §. 3. num. 6, Gobat tr. 7. Experim. Theolog. à num. 532. absolveret etiam ter, vel quater absolutum nondum eliminatâ complice, si nunc penitens sponte juret se quamprimum feminam dimissurum, nequaquam autem postea, si perjurus rediret.

789. Econtra nec primâ vice posse absolvi contendit communior sententia apud, & cum Carden. Crisis Theolog. D. 18. à num. 119. & ad proposit. Innocent. XI. Dissert. 40. à num. 75. citans Thomam Sanch. Lib. 2. Decal. c. 32. num. 45. Coninck de Pœnit. D. 8. dub. 17. num. 133. ubi ait non expedire, absolvere antequam defacto separentur, etsi parati sint jurare se semper

deinceps castè victuros, nec admittere debet, sed jubere eos ante absolutionem separari.

Azor p. 3. Lib. 3. c. 6. q. 2. extendit ad concubinarium putativum, seu communiter existimatum propter feminam secum commorantem.

Filliuc. tr. 30. c. 2. q. 11. nu. 56. negat absolutionem ante ejectionem concubinæ etiam in Articulo mortis, si tempus superfit, & non adsit magna necessitas illam retinendi citra scandalum.

Consentiunt alij apud Dian. p. 5. tr. 14. & Miscell. 2. Resol. 107. concubinos secretos rarissime posse absolutione donari ante separationem, nunquam autem, si non sint ira occulti, ut absque ullo scandalo cohabitare possint, ut si unus, aut duo sciant concubinatum inabsoluti sunt dimittendi, quia etiam unius, aut duorum scandalum est vitandum, voluntque procedere etiam in articulo mortis, nisi mors urgeat, & tempus desit, tunc sufficit propositum.

790. Addo his P. Paulum Segneri Innocentij XII. Theologum, qui ad nostram difficultatem in instructione Confessarij c. 5. à vers. Non itaque, &c. sic loquitur: Moneo, ne fidem attribuas ipsis (nempe promittentibus ejectionem) & ne citra casus extraordinarios (qui ab universali regula sunt excepti) errorem hunc muneri tuo probrosissimum admittas, nempe absolutionem conferendo, priusquam occasio sit sublata, quando tolli potest. Prius sagitta extrahenda est, ac tum medendum

dum vulneri. Non nego quorundam esse sententiam posse prima vice absolvi poenitentem datâ promissione se quam primum sua obligationi satisfacturum. Ego vero peto, quod dixi, regulariter loquendo, ne id facias: nam patere illorum dixerim, qui te ista docent, experientia, quæ operarium informat ad suggerenda Consilia etiam Magistris, nobis demonstrat poenitentes tales in hunc modum absolutos finito Paschali tempore non solum nullam evadendi retia ista gerere sollicitudinem, verum etiam instar Sylvestrium caprarum insanientium consopiri. Centum inveniuntur prætextus & antequam remouentur peccandi occasiones, multiplicantur potius lapsus &c. quod si poenitens sæpius jam sefellit fidem tibi, vel alijs in præteritis confessionibus datam, denuncio tibi, quod illum non solum nullâ ratione debeas absolvere, sed nec possis. Denique si nihilominus tibi pluris facienda videntur verba poenitentis, quam opera præterita, & absque justa causa eum censes sufficienter contritum, ideoque absolvendum, placeat tamen audire, quæ tibi candidè loquor, non agis ut bonus confessarius, etsi obis partes iudicis, certo non satisfacis Officio Medici, ad quod obligatur etiam Confessarius, Lugo num. 171. Cum finis hujus Sacramenti sit non so-

lum dolere præteritas culpas, sed etiam futuras impedire: primum spectat ad Sacerdotem ut Judicem, secundum ut ad Medicum spiritualem, ergo licet poenitens sit contritus, quantum tibi videtur attamen non est æquum, ut ipsum sanum relinquant in faucibus Draconis ejusmodi est relapsus, cum possis eripere eam atroci periculo per usum remedij unicè necessarij adversus hoc malum nempe urgendo, ut præmittat ea, ad quæ tenetur, ac differenda absolutionem eò usque dum omnia impleverit. Hucusque vir doctissimus, ac æque sanctissimus, atque per totam Italiam fumosissimus Concionator, ac Missionarius, cui utpote per tot annos experto omnifortis hominum Confessario fides prudenter negari non potest in negotio poenitentis, de quo est difficultas prima. Præsupposito in utramque partem ad eam Doctorum sensu.

791. Respondeo ad difficultatem regulariter non esse absolvendum etiam primâ vice, sed differendam absolutionem poenitenti concubinario etiam occulto scienti occasionem talem esse impedimentum ad absolutionem, priusquam eliminat concubinam. Probatum existens in statu peccati mortalis tempore danda absolutionis est hujus incapax, sed sciens occasionem non remotam impedire absolutionem retinens eandem tempore absolutionis, dum potest eam moraliter removere existit in statu peccati mortalis actualis, ergo sciens occasionem non remotam impedire absolutionem retinens

eandem, dum potest moraliter remove-
re, tempore dandæ absolutionis est hujus
incapax. Minor probatur, quod in mo-
ralibus, voluntarie retinere proximum
periculum peccandi, ac peccare peccato,
cujus est periculum, sunt ejusdem malitiæ
secundum receptam doctrinam Soarez
to. 5. in 3. p. D. 18. S. 3. n. 16.

Dixi negandam absolutionem scien-
ti retentam occasionem impedire abso-
lutionem, quia si pœnitens ignoret quod
impediat, non videtur neganda absolu-
tio pro prima vice, quia non ejectio con-
cubinæ secundum se est licita, nec est vo-
luntaria, ut est impeditiva absolutionis,
aliunde etiam, ut supponitur, est para-
tus eam fugere, quam primum edocetur
de obligatione hujus præcepti, quod ob-
ligat pro semper, & hucusque ob invin-
cibilem ignorantiam non imputabatur illi
ad culpam.

792. Difficultas secunda an negan-
da absolutio nobilibus morosis in sol-
vendo debita mercatoribus. Respondeo
si adsit impotentia, aut sit mora ex de-
fidia, nec creditores patiuntur notabile
damnum absolvendos esse, secus si defe-
ctus nascitur ex affectu pecuniæ, aut in-
terim splendide vivant, convivia in-
struant, ludant, &c. si impotentiam sol-
vendi prædant, monendi sunt ut par-
cius inter limites sui statûs similia insti-
tuant, minuunt famulitium, à ludo fre-
quenti, aut sumptuoso abstineant. Hæc
reculantes sunt absolutionis incapaces ita
communior cum Less. *Lib. 2. de just.*
c. 16. dub. 1. n. 19.

793. Difficultas tertia quibus ex
indicijs valeat colligi probabilis suspicio

dubiæ dispositionis pœnitentis, proinde
esse differendam absolutionem. Respon-
deo cum Platel. *Curs. Theolog. p. 5. à*
num. 845. id pendere ex reflexione pru-
denti supra varias circumstantias, censeo
autem in casibus sequentibus (ex quibus
de alijs facile erit judicare) esse dubiam di-
spositionem primo, quando post ali-
quot iteratas confessiones adhuc lapsus
sunt frequentes, hic tamen attendendæ
sunt limitationes, de quibus cit. Platel.
à num. 823. Secundo si aliquoties abs-
que justa causa non implevit promissa in
famæ, aut bonorum restitutione.

Tertiò si contra fidem semel, atque
iterum datam occasionem peccandi non
deseruit, aut si post aliquoties promissam
reconciliationem cum proximo ad scan-
dalum publicæ amicitie tollendum fidem
fregit, aliasve promissiones circa res gra-
ves non servavit.

Quartò si post diu omissam confes-
sionem sint lapsus frequentes, ac interea
apparet negligenter discussa conscientia,
tunc per se loquendo est differenda abso-
lutio, nisi instet mortis periculum, aut
pœnitens ob ruditatem per se ipsum suffi-
cienter eam non discutiet, aut si dilatus
non speretur rediturus, aut si diu caritu-
rus redeundi opportunitate, in similibus
enim eventibus debet Confessarius sup-
plere defectum per interrogationes pœni-
tenti accomodatas.

794. Si petas scire, quando cen-
sendi sint relapsus alicujus pœnitentis fre-
quentes, ex quibus Confessarius possit
conjecturare inefficaciam propositi, ac
dubiam dispositionem Respondeo verbis
Platel cit. *Si Confessionibus aliquoties*
repeti-

repeitis (si unica tantum confessio relapsus istos præcessit, comminitor nequit esse, signum inefficaciae presentis doloris, & propositi) reincidentia pœnitentis in eadem peccata fuerint frequentes post singulas Confessiones (unus alterve relapsus intra tempus notabile non sufficit ad prudenter judicandam nullitatem propositi. Censetur autem frequens relapsus, si sit quotidianus, aut fere quotidianus: imò talis esse videtur, si singulis septimanis ter, aut quater contingat, aut ad singulas occasiones occurrentes, &c. maxime si in externo opere peccatum compleatur) eoque d. liberata (reincidentia enim indeliberata, uti sæpe fit in assuetudine jurandi, blasphemandi, imprecandi, quamvis frequentes non arguunt fictionem doloris, & propositi, dummodo adhibeatur aliqua diligentia ad tollendum talem habitum prævium) atque inceperint eodem, aut uno, vel altero die post Confessionem (si enim post hanc aliquamdiu in doloris, & propositi abstinuit, presumendus est habuisse verum dolorem) nec in presenti confessione appareant signa majoris doloris quam in præcedentibus (si signa ejusmodi appareant, ut si præter morem singultiat, lachrymetur, si paratus sit ardua quædam facere ad vitandum relapsum, aut saltem ea omnia, quæ Confessarius

in eum finem suggeret, poterit iterum absolvi (nec mutata fuerint circumstantia, talis videtur indispositus, adeoque non absolvendus: secus si circumstantia sint mutata, ut si jam occasio relapsuum sit sublata, si novum vitæ genus sit aggressus: si foret in periculo mortis. Hæc ille, cujus doctrinam in hoc puncto nihil solidius, nihil clarius, quam si Confessarius præ oculis habeat, non agere in singulis casibus ferre poterit iudicium, an recidivus pœnitens sit absolvendus:

Dices Confessarius debet credere pœnitenti, & absolutionem petenti, si dicat se vere dolere, ac firmiter emendationem proponere. Respondeo cum admirabili Theologo (ita fuit olim appellatus P. Antonius Perez) de Pœnit. D. 3. c. 4. num. 64. debere, quando non est fortior præsumptio in contrarium, qualem præsumptionem meo iudicio inquit, frequentia relapsus facit.

Unde ab Innocent. XI. est prohibita propositio 60. ista: Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem DEI, naturæ, aut Ecclesiæ, nisi emendationis nulla spes appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

795. Allegata proxime indicia de nullitate dispositionis ostendunt merito censuisse Thyrsium Gonzalez. 10. 3. Theologia D. 41. a num. 34. sequentium confessiones præteritas fuisse nullas ob ineffi-

inefficaciam propositi, proinde esse repetendas.

Primo, mercatoris ex consuetudine falso jurantes se merces tanto pretio emisse, nec posse infra vendere. Verum de his observa, quod Sporer relatus *num.* 723. plerosque liberat à perjurio secluso errore.

Secundo, concubenarios post iterata proposita non eicientes complicem dum poterant, ut si complex moraliter non sit evitabilis, pœnitensque adhibuit serium conatum se emendandi utendo remedijs à Confessario dictatis contra recidivam, ac occasiones extrinsecas, prout erat pollicitus removit, esto aliquoties sit relapsus post Confessionem, iste non præbet sufficiens fundamentum nullitatis propositi, sed potius accidisse relapsum ex fragilitate.

Tertio, non restituentes post iterata restituendi proposita in Confessionibus, dum habent bona, ex quibus satisfaciant, si in una, aut duabus Confessionibus non impleverunt promissum, non possunt prius absolvi, nisi debitum expungant. *Relege num.* 790.

Quarto, consuetudinarij molles, id est, frequenter se polluentes post repetitas Confessiones, ac Eucharistiæ usum sine ulla numeri imminutione; licet enim recte cohæreat Confessio cum vero proposito non peccandi, & paulo post ingruente gravi tentatione relabi, siquidem Confessio nos non reddat impeccabiles, attamen post iterata Sacramenta cautius non incedentes, sed cum eadem facilitate, ac frequentia relabentes, ac si nunquam Confessi fuissent, nullum dant Confessario indicium sinceri propositi, *R. P. Karck, Diff.*

hoc utpote Spirituale probari debet per actus externos, velut effectus.

Quinto, inimicitias gerentes cum suo proximo, dum, quamvis dicant, se non velle eis malum, nullam tamen præmittunt occasionem proximo nocendi, vel in honore de eis obmurmurando, vel in bonis externis impediendo occasiones, in quibus proximus posset res suas augere, vel callidè obsistendo, ne promoveatur ad officia: quique prætextu frivolo nolunt communicare cum proximo, sed fugiunt ejus conversationem, nec ejus domum ingrediuntur, nec æquo animo ferunt. ut proximus ad ipsorum domum divertat.

Sexto, qui post Confessionem nihilo vivunt cautius, ac proximâ occasione se offerente post Confessionem exiguo temporis tractu interposito ruunt plenè deliberatè in peccata, secus qui post factas bonâ fide Confessiones sciunt se cautius vixisse, quam antea, ac minus se prolapsos, aut per longiorem temporis tractum se conservasse sine gravi lapsu, quam solebant ante Confessionem, tales enim probabiliter possunt judicare efficaciam propositi, nec certitudo requiritur, uti asserit cit. Gonzalez *n.* 28.

796. Difficultas quarta, quæ sint è contra indicia Solida dispositionis debita. Respondeo cum Platel. cit. *num.* 856. esse sequentia, primo ex motu proprio post diligens examen Confessio accuratè facta, videlicet exprimendo singulas peccatorum species cum determinatione numeri, ac circumstantiarum aggravantium.

Secundo, gemitus, suspiria, lacry-

Eccc

cry-

crimæ, aliaque similia signa intensi doloris.

Tertio, difficultas gravis superata e.g. manifestatio criminis gravis ex pudore suppressi.

Quarto, longum iter initum propter faciendam Confessionem.

Quinto, oblatio Missæ, Eleemosynæ, jejunia; preces fusæ ad obtinendam gratiam verè poenitendi.

Sexto, generalis Confessio vitæ to-

tius. Septimo promptitudo subeundi graves pœnas in partem satisfactionis, aut adhibendi difficilia remedia adversus peccata.

Octavo occasiones peccandi abruptæ cum animi lucta, aut graves tentationes superatæ.

Nono, abstinentia à peccato per aliquot dies ante Confessionem, idque intuitu illius.



ARTICULUS VII.

De subiecto peccati, & de peccatis internis.

797. **P**atritius Sporer *p. 1. tract. 1. Præmiali cap. 6. nu. 2. ex D. August. lib. 12. de Tim. cap. 12. D. Th. 1. 2. quest. 15. art. 4.* Mentem sive rationem humanam, uti & voluntatem dividit in superiorem, & inferiorem. Mens superior est intellectus judicans secundum rationes æternas, nempe secundum regulas honestatis ad gloriam, aut inhonestatis ad pœnam æternam. Ratio inferior est idem intellectus judicans secundum rationes temporales, id est, commodas, aut incommodas, sensibiles. Hinc voluntatis pars superior dicitur, dum voluntas operatur juxta rationes æternas, seu quatenus tendit in proposita objecta secundum regulas honestatis, aut inhonestatis; si tendit secun-

dum rationes temporales, dicitur pars, sive portio inferior.

Constat ex *num. 689.* peccata alia esse interna, sive cordis, alia externa, sive ore, aut opere externo consummata.

Item in quovis peccato est malitia materialis, & formalis explicata *num. 521. & sequentibus, ac 686.* materialis inest actibus tam externis, quam internis per *n. 521. & sequentes.*

Subiectum malitiæ formalis intrinsicæ est ipsa materialis malitia ejusdem, quod subiectum potius dici solet materiale peccati, subiectum vero immediatum, seu inhærens extrinsecum est ipsa voluntas actum eliciens, subiectum immediatum malitiæ materialis (cum hæc sit propria

pria cuiusvis actus, sive interni sive externi) sunt eadem potentia quæ dictos actus eliciunt, & respiciunt. Unde malitia formalis solum denominative convenit actibus potentiarum distinctarum à voluntate e. g. in intellectu malis cogitationibus, suspicionibus, iudicijs temerarijs, hæresi &c. in sensitiva phantasiæ imaginationi turpi; in sensualitate, seu appetitu sensitivo appetitionibus rerum malarum, delectationi morosæ præsertim venereæ; in potentijs, & membris externis, ut illicita, aut ex fine illicito

voluntariè videre, audire, gustare, loqui, tangere, ambulare. Ratio est, quod formalis malitia sit ipsissima actualis libertas formalis, hæc autem immediate recipitur in sola voluntate, ab illa velut forma extrinseca actus cæterarum potentiarum libere imperati extrinsece dominantur liberi, ac peccaminosi. Expedita prima parte articuli, de secunda copiosius est agendum, quæ cum plurima complectatur, eam in plures

§§. charitatis gratia partemur.



§. I.

*Ad quenam actuum genera revocantur peccata interna,
& quæ series actuum regulariter interveniat,
dum interne peccamus.*

798. **O**Rdior à secundo. Primo, sensus externus per suum actum v. g. visionis, aut auditionis &c. aut alia causa excitat in potentia imaginativa imaginationem objecti sensibilis, delectabilis, aut huic contrariam puta molesti. Imaginatio ob naturalem, quam habet cum intellectu connexionem producit sui speciem impressam, quæ cum eodem intellectu de eodem objecto sensibili efficit cogitationem, seu cognitionem, & primo quidem secundum rationem inferiorem quatenus intellectus illud objectum cognoscit præcise ut est delectabile sensui, aut molestum, deinde secundum

rationem superiorem, seu ut est peccatum per *nu.* 797.

Secundo, ex imaginatione phantasiæ in appetitu sensitivo pro varietate objecti sensibilis nascitur amor, vel odium; delectatio, aut tristitia, aut motus iræ &c.

Tertio, sequitur in intellectu cogitatio proponens idem objectum modo proxime insinuato.

Quarto, ad propositionem factam ab intellectu sequitur in voluntate motus similis facto motui in appetitu sensitivo, nempe amoris, aut odij &c. qui si feratur in objectum præcise ut propositum secundum

dum rationem inferiorem, caret peccato: si vero tendat in illud ut propositum secundum rationem superiorem, velut contrarium legi, ac rectæ rationi, motus voluntatis est illicitus, isque efficax, aut inefficax consensus dicitur. Vide actuum voluntatis species plerasque efficaces, ac inefficaces declaratas a num. 512. ad 520. De consensu autem à num. 537.

Actuum allata series exemplificatur: delectatur quis re mala e.g. copula. Actus primus est imaginatio orta ex speciebus sensitivis copulæ versans circa illam tanquam sibi præsentem. Secundus actus est delectatio appetitus sensitivi commovens in carne Spiritus genitales. Tertius actus intellectus cogitans copulam, & de ea discurrens. Quartus est actus voluntatis copulam, vel concupiscens, & dicitur desiderium, vel præteritam approbans, & dicitur gaudium: vel præcisè voluntas sibi complacet in ipsa copula sine consensu in opus, & dicitur morosa delectatio.

Exemplum aliud in objecto molesto: Petrus loquitur contumeliosè contra Paulum: hic auditis contumelijs concipit imaginationem, quæ representat easdem, ut molestas, hinc appetitus sensitivus irascibilis insurgit adversus Paulum: sequitur mox intellectus exhibens gravitatem injuriæ concludit ultionem: hinc, si voluntas consentit in vindictam, dicitur propositum, aut desiderium; si vero simplici complacentiâ se occupet circa vindictam quin eam intendat inferre, hæc complacentia vocatur delectatio morosa.

799. Ex his deduco primam partem §, videlicet omnia peccata interna revocari ad triplicis generis actus voluntatis, ad gaudium, desiderium, & delectationem morosam. Ratio quia omne peccatum internum, aut est voluntas approbans malum præteritum, & sic est gaudium, aut est intentio efficax seu propositum opere explendi absolutè, aut conditionatè, & sic est desiderium efficax absolutum, vel conditionatum (quod malitiam desumit ab objecto suo, ac omnibus hujus circumstantijs prævisis; à quo probabiliter non differt specie desiderium inefficax per num. 587. ubi tamen dixi opinionem oppositam stantè per specifica diversitate esse tutam) aut est deliberata de re illicita complacentia, vel de licita displicentia, & dicitur delectatio morosa sic dicta non à mora temporis, cum momentaneè fieri possit, sed quod appetitus immoretur, sive quiescat in ipsa objecti delectabilitate, quin ultra progredi intendat.

A multis cum gaudio confunditur apud Sanch. lib. 1. Decal. cap. 2. n. 32. at esse inter se diversa præcipuè in materia venerea notant RR. Theologi apud Cardenas Crisis Theolog. D. 41. num. 21. quia potest quis aliquid approbare, quin eo se oblectet exemplo Christi summe gaudentis se pro mundi redemptione pati, & tamen non delectabatur morte, sed tristabatur, quæ tristitia fuit non in solo sensitivo appetitu, sed etiam in voluntate Pal. p. 1. tract. 2. D. 2. p. 10. §. 2. num. 6. in eo discriminans gaudium à delectatione, quod illud sit complacentia approbativa boni possessi, tendatque in rem prout est in se, delectatio vero non

non respiciat rem prout est in se, sed prout sibi est utilis, & conveniens, ac de ea ut sic delectatur. Facendum tamen est, quod juxta S. Th. 1. 2, q. 31. art. 3. in Corp. gaudium sit quaedam species delectationis per n. 515.

Delectatio morosa in eo differt à desiderio inefficaci, quod hoc tendat in objectum futurum sitque reperibile sine delectatione, & vicissim, delectatio vero fertur in objectum praesens, unde cum affectus praesens, qui fertur e.g. in fornicationem, ut praesentem, magis mentem inebriet, quam affectus, qui fertur

in fornicationem ut futuram, siquidem magis animum titillat objectum praesens, quam absens, idcirco morosa delectatio caeteris paribus magis opponitur castitati in re venerea, quam inefficax desiderium; efficax vero est gravius delectatione, quia illud quantum est de se fertur ad actualem fornicationem ut est in se, nec praescindit à circumstantijs, secus delectatio morosa, ac secundum aliquos etiam desiderium inefficax, quos lege citatos n. 587.

Versu Respondeo primo. Unde hi duo affectus sunt pares in caeteris

Card. n. 59.



§. II.

An sit licita morosa delectatio de cogitatione rei malae?

800. **M**orosa delectatio est simplex complacentia voluntaria de re licita, aut illicita sine intentione eam opere implendi: definitio colligitur ex n. 799.

Cogitationes sunt aliae imaginativae de rebus malis, quas elicit phantasia, seu sensus internus communis; aliae intellectus, seu Spirituales. Utraque est Speculativa, aut practica; utriusque natura est declarata à num. 82. Haec cogitationis divisio est scitu necessaria praesertim in materia venerea; ut fute ibi ostensum est.

Ad cogitationes imaginativas excitantur in appetitu sensitivo passiones, seu

alterationes: quaedam sunt vel mere naturales ex naturalium qualitatum dispositione, ut calere, frigere, famere, sitire, pigrescere, torpescere. Aliae sunt sensuales; has excitat imaginatio proponens objectum oblectans, aut contrarium molestandans: hujusmodi motus in appetitu sensitivo excitati sunt communes hominibus, & brutis. Motus vero excitati in appetitu rationali ad cogitationem intellectus, quae idem objectum conveniens rationi, representatur, dicuntur rationales, ut motus amoris, odij, tristitiae, irae, delectationis &c.

Tam sensuales, quam rationales sunt triplicis generis: motus primo primi,

Eccc 3

mi, secundo primi, secundo secundi. Primo primi prævertunt omnem advertentiam intellectus, & ideo sunt indeliberati. Secundo primi sunt semideliberati, id est, sequuntur ad imperfectam cogitationem intellectus, qualis datur in semidormientibus, semiebrijs, distractis, aut ex vehementia passionis turbatis. Secundo secundi sunt plene deliberati, de his motibus vide *num.* 100. & *sequentes*. Indicia autem quando motus præfati sint aut non sint plenè liberi, allata sunt *num.* 540.

801. Respondeo ad quæstionem in §. positam nulla cogitatio sive imaginativa, sive intellectus in se, & secundum se considerata est moraliter mala, sed naturalis, quia tam phantasia, quam intellectus naturaliter rendit in objectum suum, illa quidem in illud ut conveniens, aut disconveniens sensitivo appetitui, hic vero in idem ut verum, quod æque reperitur in rebus licitis, ac illicitis, estque intellectui æque bona veritas in rebus malis, ac in bonis, eamque cognoscit etiam DEUS, & Beati.

Hinc in nobis secundum se sunt indifferentes, proinde ex imperio seu consensu voluntatis possunt evadere moraliter bonæ, aut malæ; assumptæ ex fine bono v. g. studendi, docendi, dolendi de peccatis &c. sunt bonæ, directæ ad finem malum fiunt malæ mortaliter, aut venialiter pro gravitate, aut levitate finis mali.

Ratio responsionis constat ex terminis. Huc spectat doctrina à *n.* 573. de moralitate mediocorum, & finis invicem comparatorum.

Infero primo, delectationem de co-

gitatione speculativa, seu de ipsa speculatione objecti etiam pessimi esse per se licitam, ita omnes, quia cognitio veritatis in objecto malo est bona, ergo delectatio voluntariè concepta de cognitione veritatis etiam est bona, ut patet in DEO cognoscente peccata nostra, & delectante se de tali cogitatione Pal. *p.* 1. *traff.* 2. *D.* 2. *p.* 10. §. 1. *n.* 2.

Infero secundo, delectatio de rei illicitæ modo, quo facta est, aut inventione, aut artificio, quo e. g. fur est rem furatus, aut sicarius occidit, aut quis fœminam seduxit, aut abduxit &c. per se est immunis ab omni culpa, cit. Pal. *n.* 3. quia objectum delectationis non est malum, sed bonum, nempe dexteritas, velocitas, ingeniosâ excogitatio, fortitudo, aut eventus inopinatus. Vide de hoc *n.* 114. Unde sæpe accidit, quod ad eventus alias nobis displicentes excitetur in nobis licitus risus, ac oblectatio ut dum spectamus alicujus ex præcipitio casum, etsi ex eo sit graviter læsus, aut dum narrantur furta, fraudes, insidiæ mirâ dexteritate patrata, aut instructæ. Ratio quia risus, ac oblectatio est de modo inusitato casus, furtorum &c. de se non malo, cit. Pal.

Dixi *per se*, quia per accidens delectatio potest esse leviter, aut mortaliter mala; leviter si sit otiosa, curiosa, levis ad nullum finem honestum ordinata; mortaliter, quando est conjuncta cum proximo periculo alterius delectationis graviter veritæ, aut consensus in eam Hinc.

802. Infero tertio, delectationem voluntariam de cogitatione imaginativa, aut intellectiva practica de rebus veneris, alijs-

alijsve graviter illicitis, plurimum commovente Spiritus carnales, aliamve passionem e. g. vehementes motus vindicationem esse practicè mortaliter illicitam, ita Tambur. *lib. 10. Decal. cap. 1. nu. 8.* non quia cogitatio ejusmodi in se sit mala, siquidem in se spectata est mera presentatio rei illicitæ, atque adeo si delectatio speculativa susteret in sola imaginatione, & cogitatione careret omni culpa sed ob annexum periculum libidinosa commotionis, est enim moraliter impossibile, ut sistat delectatio speculativa in ipsa imaginatione, aut practica cogitatione rei turpis sed ob sympathiam, & connexionem potentiaram vehementer concitat motus inordinatos Spiritusque genitales potenter commovet, hi autem sic commoti de se ad pollutionem determinant juxta decisam *n. 82. ad 95.*

Quid dicendum, dum quis est dubius, an delectatio sit purè speculativa, seu de sola cogitatione, vel vero sit practica, sive de re mala cogitata. Resolutionem hujus merito vocat Pal. *num. 5.* difficillimam, & periculosissimam ob dignoscendi incertitudinem. Respondeo cum Sanch. *lib. 1. Decal. cap. 2. nu. 7.* dum delectatio suboritur aut cogitas reflexè de cogitatione, aut non cogitas reflexè: si non, certum est delectationem non habere pro objecto cogitationem, cum nihil volitum, quod non præcognitum, est ergo tunc delectatio de ipsa re mala cogitata e. g. vindicta sumenda, aut fornicatione, verum exinde non sufficienter concluditur, quod delectatio sit de re cogitata mala ut mala est, quia juxta *num. 801. Vers. Infero secundo.* est

licita delectatio de eadem sub ratione boni.

Si autem reflexè cogitas de cogitatione, non est clarum indicium, quod nata inde delectatio sit de sola cogitatione, quia potest simul delectatio esse de ipsa re cogitata, ita Pal. *n. 5.*

Quare tunc aliud signum suggerit Sanch. nempe attendendum esse ad affectum, ex quo orta est delectatio, si enim ortum habet ex affectu ad rem cogitam e. g. vindictam, fornicationem, est delectatio de re ipsa; si ex affectu ad ipsam cogitationem, delectatio est de sola cogitatione.

803. Verum si dubium sit de ipso ortu, an scilicet potius sit ex affectu ad rem cogitam, vel vero ex affectu ad cogitationem, tunc Sanch. vult recurrendum ad occasionem, unde est orta cogitatio; si hujus occasio est honesta, ut si cogitas de objecto malo, quia audis Confessiones, vel studes, vel legis, vel prædicas præsumeris te oblectasse ex affectu ad ipsam cogitationem: si autem occasio est prava e. g. aspectus turpis, occasio sumendæ vindictæ, affectus turpis, aut otiosus, aut locutio inutilis, aut vana de re mala, est non leve indicium habere ortum potius ex affectu ad rem, quam ad hujus cogitationem, ita cit. Pal.

Postremus addit indicium tertium judicio suo manifestum ad discernendum, an oblectatio sit de puro artificio, vel vero etiam de re, eo casu est habenda reflexio utrum magis oblecteris artificio in rebus malis, quam in rebus honestis, etsi elegantioribus, ac subtilioribus, vel vero est æqualis oblectatio de artificio, sive

res sint mala, sive bonæ, in primo casu præsumitur delectatio de re prava, cui est annexum artificium, in secundo præsumitur delectatio de solo artificio.

Ex hac doctrina deducit ex Salas sequentes præsumi se oblectasse non de artificio, sed de rebus, qui prætextu artificij libentius legunt carmina de obscœnis, quam de honestis æque eleganter compositis, aut minori aviditate hæc, quam illa, aut libentius audiunt turpia, quam honesta.

Secundo illos, qui libentius, ac frequentius sermocinantur de secretis partibus corporeis, de harum morbis, medicinis, vestibus, alijsque ad illas pertinentibus ad risum moventibus, convinci latentis delectationis carnalis.

Tertio illos, qui facile plura detorqueant in turpes sensus, aut utuntur metaphoris rerum turpium.

* * *



§. III.

An delectatio morosa solius rei mortalis cogitata sit mortalis.

304. **P**rima opinio attributa Martino de Magist. apud Pal. 1. p. tr. 2. D. 2. p. 10. § 2. num. 1. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 2. num. 8. universim negat etiam de materia venerea, nulla enim virtus videtur jubere sub mortali reprimere motus nisi efficaces, & causantes opus. Hæc opinio rejicitur ab omnibus cum S. Th. 1. 2. quæst. 74. art. 8. & alibi eamque Sanch. post Azor vocant temerariam.

Secunda universim affirmat de omni objecto mortaliter vetito sive jure positivo, sive naturali quocunque ita Valent. 1. 2. D. 6. quæst. 4, p. 4. ad fin. Azor p. 1. Instit. Moral. lib. 4. cap. 6. quæst. 1.

Tertia, Vasq. 1. 2. D. 111. cap. 3. etiam fateatur, quod efficax voluntas in universum sit mortalis de objectis mortalibus jure naturali prohibitis, negat tamen quod delectatio de omnibus ejusmodi cogitatis operibus sit mortalis, dummodo non sit de illis qua ratione peccatum sunt, sed tunc esse mortalem quando malitia delectationis ex se est notabiliter deformis, & opposita alicui virtuti. Nam in principijs Vasq. ut vidimus num. 442. & 505. malitia ex objecto, & circumstantijs non aequaliter derivatur in actum internum inefficacem, qualis est delectatio, ac in internum efficacem, efficax enim est causa operis, secus inefficax, hæc enim secundum se primario, &

& non ex opere ipso mala est. Exemplo probat hanc diversitatem inter affectum efficacem, & inefficacem, sic statuens uxorem ducere, & ad eam accedere, ac cum ea delectari habet efficax propositum, quin hoc sit mortale, è contra peccat mortaliter, si actu se oblectet morosè de accessu illo venereo: Religiosus proponens absque licentia erogare magnam summam peccat mortaliter contra jus naturale, attamen non fit reus mortalis, si cogitatione verferet eandem summam, seque delectat in ejus erogatione propria autoritate, pluribus exemplis firmat *cit. c. 3.* priorem partem sui asserti, cuius dat rationem *c. 4. num. 15.* quod, cum delectatio non desumat malitiam ab opere, utpote hujus non causa, non debeat esse mortalis, esto opus sit mortale, è contra voluntas efficax operis cum sit causa hujus, semper est mortalis: posteriorem partem ostendit allatum exemplum de proponente ducere uxorem, quod est licitum, cui tamen delectatio morosa de copula est mortaliter illicita ob magnam deformitatem cum castitate. Alia exempla adducit in alijs materijs *c. 4. à num. 16.*

Quarta opinio distingui inter prohibita jure naturali, & inter prohibita jure positivo: delectatio de prioribus semper est mortalis, non item de posterioribus, *Less. Lib. 4. de Just. c. 3. n. 113. & 115. Vasc. D. 110. c. 2. Pal. nn. 22. Sanch. num. 10. ex communi.* Ubi dat differentiam inter delectationem de prohibitis jure naturali, & solo jure positivo, quod malitia, cum sit de eorum substantia, quæ jure naturali prohibentur, nequeat ab his separari, proinde de-

R. P. Karch, Diss.

lectatio capta de eorum substantia pro objecto habeat ipsam malitiam mortalem, è contra actus vetiti solo jure positivo intrinsece, seu in substantia careant omni malitia in se, & duntaxat sunt mali extrinsece, seu ideo præcisè, quia sunt prohibiti, à qua circumstantia cum intellectus possit præcindere, sequitur, quod voluntas de illis presentatis ut præcisus possit se delectare sine culpa, Hæc ratio est etiam Pal. Less.

Vasq. licet amplectatur horum sententiam impugnat tamen rationem allatam: ideo enim, inquit, die jejunijs delectans in cogitata cœna, & esu carnijs non peccat, quia delectatio capitur ex substantia cœnæ, ac esus carnijs, quæ quid bonum est: sed hæc eadem ratio potest habere locum in vetitis jure naturali: Religiosus enim potest se apprehendere sub eo statu, in quo actus conjugalis est illi in substantia illicitus, ergo licet jure naturali pro statu Religioso sit illi opus pro statu Religioso sit illi opus prohibitum, consequenter etiam voluntas efficax, delectatio tamen morosa licebit illi de actu conjugali apprehenso pro statu, in quo actus conjugalis illi licitus sit, aut foret.

Ipsè ergo ex suo superius insinuato principio docet ideo de rebus jure positivo vetitis delectationem morosam non esse mortaliter illicitam, quia delectatio utpote simplex affectus non accipit malitiam ex opere externo, circa quod versatur, sed si est mala, habet malitiam secundum se oppositam alicui virtuti, qualem saltem lethalem non habet delectatio de actibus jure positivo vetitis, esto habeat actus efficax.

FFF

Restat

Restat modò decidere, quid sentiendum de relatis his quatuor opinionibus. Ordinat à vetitis jure naturali, &

quidem primo de materia venerea, postea de distinctis ab illa, & tandem de rebus jure positivo inhibitis.



§. IV.

An delectatio morosa de re venerea semper sit moralis in Personis solutis.

305. **M**orosa delectatio de rebus venereis est voluntaria simplex complacentia de spectantibus ad veneream absque animo eas opere implendi conformiter stabilitis num. 799. & 800. nomine hujus venit carnalis delectatio ex copula, aut pollutione, aut ex commotis spiritibus in partibus generationi deservientibus per num. 721.

Dividitur in spiritualem, & corpoream, seu sensibilem: spiritualis est actus voluntatis sibi complacens in re venerea ab intellectu cogitata: si sit delectatio de ipsa cogitatione, an & quantum sit illicita, distinctè disserui toto §. superiore corporea est actus potentiae corporeae seu sensitivae; subdividitur in corpoream internam, & externam. Externa est delectatio potentiae tactivae, seu est potentiae sensitivae externae sensatio habens pro objecto carnis alterationem, id est, commotionem spirituum venereorum, tactus impudicos, pollutionem, copulam, imò etiam tactus de se pudicos, amplexus, oscula (tactus enim est sensus externus diffusivus non tantum per partes ve-

rendas, sed totum corpus) delectatio itaque externa sensibilis luxuriosa est actus physice elicitus à potentia externa tactiva, causa coëfficiens sunt ipsi carnales spiritus intra ipsam cutem excitati, hósque simul habet pro objecto. Ejusmodi externa delectatio per transmissam à se speciem in sensum corporeum internum communem producit cognitionem, sive cogitationem imaginativam, seu phantasticam, ad quam appetitus sensitivus internus exardescit, id est, elicit delectationem internam corpoream de eadem spirituum commotione, ac delectatione externa.

Aliquando ad externam delectationem determinat ipsa hæc interna delectatio corporea excitata ab actu imaginativo representante objectum venereum modo delectabili, quam representationem producant species relictæ à præterita imaginatione.

Hinc constat esse difficillimum discernere delectationem spiritualem à sensitiva, seu corporea propter individuum utriusque Societatem in nexu potentia-

zum fundatam, ut insinuavi *num.* 802. Pal. *num.* 6. nequit enim voluntas se oblectare spiritualiter sine prævia intellectuali cogitatione objecti delectabilis spirituali, hæc in corpore naturaliter non est delectabilis sine prævia phantastica imaginatione de eodem objecto, ad hanc autem illico excitatur appetitus sensitivus, hic facillimè ob Sympathicam connexionem excitat potentiam commotricem spirituum causantium delectationem externam, dum est materia venerea, si autem est objectum aliud e.g. vindicta, commovet alios humores v.g. in ira Spiritus biliosos, sive sanguinem bullientem ad vindictæ sumpcionem.

Non minus arduum est in materia veneris discernere delectationem speculativam à practica, ubi per speculativam intelligitur orta ex speculativa cogitatione intellectûs, per practicam vero, quæ sequitur ad cogitationem practicam, Cardenas *Crisis Theolog.* D. 42. *num.* 12. cuius gradus, ac differentia à speculativa sufficienter est declarata à *num.* 82. eaque est scitu necessaria, præsertim in materia ista lubrica. His præmissis.

806. Dicendum est quod delectatio morosa tam spiritualis, quam corporæ, tum interna, tum externa de re venerea mortali est peccatum mortale, ita contra primam sententiam relatam *num.* 804. tenent cæteri, inter quos etiam Vasq. D. 109. c. 3. & D. 111. c. 4. *num.* 19. & supponit tota D. 12. ubi probat c. 2. delectationes morosas specie differre ab opere venereo, & D. 114. c. 2. tam in viduis, quam sponfis de futuro eas damnat peccati mortalis. Probatum cum Car-

denas D. 41. *num.* 65. ex 5. ad Galat. ubi inrer opera carnis ponitur etiam immunditia, ac impudicitia, sed delectatio morosa est immunditia, vel impudicitia cordis, ergo. Ratio est desiderium efficacax fornicationis est lethale, ergo etiam inefficax, ergo & delectatio morosa, hæc enim per *num.* 799. magis apta est commovere Spiritus venereos, quam inefficax desiderium.

Amplia conclusionem ad delectationem spiritualem solius voluntatis de re venerea illicita seclusâ omni delectatione corporeâ internâ, ac externâ, huiusque periculo, ac independenter ab habitudine, quam habet spirituum commotione, nempe esse mortaliter malam solutis, Cardenas, D. 41. *num.* 109. & 115. dicens esse omnium (verum contradicere Martinum de Magist. liquet ex *num.* 804.) eamque indicat Vasq. D. 114. n. 2. Ratio est, quod non minus sit contra lumen naturale complacere de pollutione, Sodomia, bestialitate etiam absque delectatione sensibili, quam sit gaudere de vulneratione Petri ut noxia Petro facta ab amante, sed istud gaudium est contra charitatem, ergo etiam complacentia voluntatis de re venerea est contra castitatem eadem ratio probat de delectatione corporea interna separata ab omni commotione sensus externi.

Confirmatur aliàs sequeretur conjugatum se licitè posse delectare delectatione internâ venereâ de copula Sodomitica, aut cum non sua &c. si malitia delectationis internæ unicè desumeretur ab habitudine ad commotionem spirituum, quia commotio spirituum conjugatis non est

F f f 2

gravi-

graviter illicita etiam in absentia conjugis secluso pollutionis periculo.

807. Dicendum secundò delectationem purè spiritualemente de objecto venereo licito, quam non comitatur ulla delectatio sensibilis interna, aut externa, secluso periculo commotionis aut consensus non esse illicitam, ita Sanch. *Lib. 1. Decal. c. 2. num. 34.* Idem dic de gaudio purè spirituali approbante actum venereum præteritum conjugalem, Cardenas *num. 130. & seq.* Sanch. *Lib. 9. de Matr. D. 47. num. 1.* contra Pal. *p. 1. tr. 2. D. 2. p. 10. §. 2. num. 6. & 7.* Ratio, quod delectatio de objecto licito non possit esse illicita titulo objecti, sed delectatio purè spiritualis supponitur habere pro objecto actum venereum in se licitum, ergo titulo præcisè huius delectatio nequit esse illicita, sed etiam non potest esse illicita propter aliquem suum effectum illicitum, qualis est delectatio corporea tum interna, tum externa, & commotio spirituum, quia conclusio supponit omnia hæc abesse, uti etiam eorumdem periculum. Idem argumentum applica gaudio vidui de copula præterita conjugali.

808. Infero primo nulli soluto etiam sponso de futuro est licita delectatio sive interna, sive externa corporea, nec spiritualis habens annexam corpoream. Idem dic de gaudio.

Ratio de corporea est, quod jisdem sit illicitum opus, ergo etiam delectatio corporea venerea, hæc uti & cogitatio imaginativa de rebus turpibus à natura est ordinata ad generationem. Unde etiam spiritualis est mortaliter illicita Sponsis, & viduis habens pro objecto delectatio-

nem corpoream, & commotionem spirituum, quia hæc existunt de præsentia, quo tempore non licent illis, ergo nec licita est delectatio, aut gaudium de jisdem. Cardenas à *num. 67.*

Infero secundò Sponsis de futuro, licet sit licitum desiderium copulæ futuræ in conjugio, & viduis gaudium de præterito usu conjugij, cum tam illud, quam hoc habeat objectum in se licitum, si tamen operentur commotionem spirituum consequenter delectationem sensitivam, ratione huius operationis eisdem illicitum evadit desiderium, & gaudium: hoc, & non plus probat ratio sententiæ oppositæ nobis.

Cæterum si abest periculum commotionis, ac delectationis corporeæ, uti abesse videtur, si gaudium, aut desiderium sit breve, nihil evincitur contra nos, at si diu duret alterutrum excusare non possum à Manifesto periculo commotionis spirituum, consequenter nec à peccato mortali, quod nec Sanchez excusaret.

809. Monui *num. 799.* delectationem à pluribus confundi cum gaudio, idque frequenter in materijs non venereis, at in his melius distingui, in quibus delectatio communiter sumitur pro oblectatione sensibili externa, vel interna, ac pro oblectatione voluntatis sensibili associata, gaudium autem est approbatio voluntatis boni possessi absque sensibili delectatione. Carden. *D. 41. num. 21.*

Circa modum loquendi Sanch. *cit. c. 2. num. 32.* ponentis differentiam inter delectationem voluntatis & delectationem sensitivam, quod utraque sit de bono præsentia possessio, vel secundum rem,

rem, vel secundum cognitionem; unde cum sensitiva dependeat ab imaginatione impotente ullam ponere conditionem, quia in conditionalibus est quaedam affirmatio, & negatio, æquivaleret enim cuidam antecedenti, & consequenti, sic conditionalis ista: *Si homo est animal, est sensibilis.* Æquivaleret isti: *homo est animal, ergo est sensibilis.* Item in jisdem intervenit quaedam præcisio unius rationis ab alia, sic in materia nostra: *si hæc foret mea uxor, vellem illi copulari,* ubi fit præcisio malitiæ reperta in copula cum non sua per appositionem conditionis, si femina esset sua: imaginativa autem communis nobis, & brutis nequit præcindere. Et ideo voluntas potest ferri in copulam futuram sub conditione auferente malitiam, consequenter de eadem sic præsentem in apprehensione licite delectari. Vide Pal. *cit. num. 6.* negantem imaginativam non posse ferri, ac præsentare objectum conditione vestitum, nec requiri ad id discursum, affirmationem & negationem, sed sufficere apprehensionem, qualem putat reperiri etiam in brutis.

810. Circa, inquam, hunc loquendi modum Sanchezij duo observat Cardenas *num. 70.* Primum est, quod etsi sensitivus appetitus tenderet sub conditione in actum venereum, adhuc delectatio esset lethalis, quia cum sit præsens immutat corpus, estque inchoatio coitus, aut pollutionis. Secundum est, quod non sit propriè verum etiam voluntatem per delectationes ferri in objectum sub conditione, nam delectatio fertur in objectum ut præsens secundum rem, aut

apprehensionem, cognitum autem sub conditione, non cognoscitur ut præsens, sed ut sub conditione futurum: unde cum sic cognitum sit conditionate in se futurum, ut vero cognitum sit objectivè præsens, potest unus, ac idem actus esse desiderium inefficax, ac delectatio: ut terminatur ad objectum sub conditione futurum est actus desiderii, delectationis verò, ut terminatur ad objectivè, seu in cognitione præsens. Igitur dum concurrunt illa duo predicata, futurum realiter, & præsens objective, volitio quæ respiciens futurum dicitur à Philosophis desiderium, quæ verò respiciens rem eandem ut objective præsentem dicitur ab jisdem complacentia, gaudium, delectatio.

Ex hac secunda observatione resolvitur quæstionem illam in materijs non luxuriæ e. g. hanc an desiderium inefficax terminatum ad objectum malum, sub conditione quod non sit malum, sit peccatum mortale v. g. *vellem occidere Petrum, si non esset peccatum:* Resolvit, inquam, beneficio distinctionis, fore mortale desiderium, si habet annexam delectationem de cogitata Petri occisione, aut displicentiam subjecti, seu de vita Petri, quia sic est odium Petri, vultque illi malum ut malum est; non fore mortale seclusâ dictâ complacentiâ, aut displicentiâ: quapropter inefficax desiderium pollutionis sub conditione, si ea liceret, caret culpâ seclusâ delectatione præsentem.

Dices contra illationem *primam num. 808.* Sponsis est licita delectatio sensitiva orta ex amplexibus, ac osculis etsi ea sit inchoatio copulæ ac in alijs solutis mortalis, quia sponsalia sunt inchoa-

tum matrimonium ; quale videtur illam delectationem purgare à labe mortali secluso periculo copulae, aut pollutionis, aut consensûs, ita Sanch. *Lib. 9. de Matr. D. 46. num. 48 & seq.* Respondeo me in tractatu Canonistico de *Matrim. num. 99.* negasse cum Perez de *Matrim. D. 8. S. 6. num. 7.* quia copula est illis mortaliter illicita, ergo etiam sensitiva venerea delectatio utpote ex natura sua ordinata ad copulam.

811. Quares an appetitûs sensitivi delectatio cum commotione corporis sit mortalis, si non sit procurata, nec adfit expressus in eam consensus, sed eam positivè non reprimat patiens, cum possit, nec adfit periculum pollutionis, aut alterius mortalis consensûs. Multi affirmant cum Vasq. relati *num. 102.* ejusmodi enim non coërcitio est tacitus, ac virtualis consensus, qualis sufficit ad peccatum mortale. Multi vero negant cum Cajet. apud Sanch. *lib. 1. Decal. c. 2. num. 13.* ubi utrosque probabiliter loqui existimat, in praxi tamen prioribus adhæret, eamque fere semper esse veram practicè, nisi saltem positivam habeat displicentiam de tali commotione, ac delectatione, Pala autem *p. 1. tr. 2. D. 2. p. 10. §. 5. num. 3.* etsi fateatur primam esse valde probabilem, probabiliorem tamen judicat secundam, quia motus omnes ejusmodi à natura excitatos positivè reprimere est impossibile, aliquos difficillimum ; proinde negat, quod se

habens negativè tacitè consentiat, sed duntaxat eos permittit: si quis tales motus excitavit, tunc omnino sub mortali tenetur ad positivam repressionem.

Respondeo me sequi viam mediam, teneo cum primis in assuetis rei venerea, cum secundis seclusa tali consuetudine, de quo jam differui *cit. num. 102.*

Dubitas utrum hæc non repressio in jis, in quibus non est periculum consensus juxta secundam opinionem, sit peccatum veniale. Negant aliqui cum Bona. apud Pal. *num. 5.* at melius ille *num. 6.* cum Sanch. *cit. in fin.* & communi affirmat quia continent aliquam inordinationem, siquidem incitant ad copulam, quam etsi sub mortali sit obligatio vitandi, non tamen est par obligatio à natura excitatos motus comprimendi secluso periculo in eam consensûs.

Limitat assertum suum Pal. *num. 7.* excusans etiam à veniali, dum non repressio fit ex necessaria, aut utili causa tibi, aut alteri, ut si audis Confessiones, Legis, Studes: loqueris urbane cum femina, equitas, aut times ne incidas in turpiores tentationes, aut ne gravius tenteris, etsi adfit periculum pollutionis, dummodo absit periculum consensus, consentit Vasq. *D. 108. c. 3. in fin.* quia, inquit, licet jis conveniat aliqua ratio indirecti voluntarij, non tamen illa obligat

omitti eorum causam necessariam, honestam, aut utilem.

* *
*





§. V.

An delectatio morosa conjugatis extra copulam in praesentia, aut absentia conjugis sit licita, ubi plura morventur, ac dissolvuntur.

812. **Q**uaeres primo, an conjuges extra coitum praesente, aut absente conjugate licite se possint oblectare, ac si in ipso coitu essent, proinde non solum delectatione voluntatis, sed etiam appetitus sensitivi, & quidem etiam haec contingat cum aliqua alteratione, ac commotione pudendorum. Navar. *Summa cap. 16. num. 10.* damnat mortalis aequae, an in viduis, Respondeo probabiliter eos liberari à culpa mortali, quia ob matrimonium illis licet copula, ergo delectatio morosa etiam sensitiva nequit esse in illis mortalis, dum se oblectant, sive alter sit praesens, sive absens, utrobique enim manent conjuges; vidua autem non est conjux, idcirco ab hac non est argumentum ad conjuges.

Uterius admitto non peccare mortaliter, si ex mutuis tactibus excitant delectationem, dummodo non sit vehemens commotio, & connexa cum pollutione per copulam inevitabili, ita Vasq. *1. 2. D. 13. cap. 2. in fin.* non excusans à mortali conjugem se ipsum provocantem ad venerem, non enim est actus conjugalis utpote non exercitus cum conjugate, nec ortum habet ex conjugali actu adhuc cogitato. Nihilominus pollutio-

nis periculo secluso conjux se ipsum tangens libidinose in pudendis, etiam sequatur aliqualis commotio, liberatur à mortali per Sanch. *lib. 9. de Matr. D. 44. num. 16.* Perez *de Matr. D. 54. S. 2. num. 6.* Gobat *tract. 10. num. 658.* restringit cum Vasq. ad casum, quo sperat brevi conjugem adfuturam animo coeundi. Extra hanc occasionem Dicastill, *de Matr. D. 9. num. 189.* adharet Vasquez, quia actus libidinosus extra occasionem non est indifferens, sed per se ordinatus ad pollutionem quam opinionem secutus sum *in Tract. Canonist. num. 416.* opposita in praxi est periculosa, nisi obiter fiat.

813. Quares secundo, an conjuges voto castitatis ligati licite se venerè oblectent. Secundo, an licita sit venerè delectatio conjugati emittenti votum castitatis absque consensu alterius. Tercio, quid si in conjugibus sit copula illicita ob superveniens impedimentum extrinsecum, ut si ambo, aut alter affinitatem contraxerit, an iisdem etiam sit vetita carnalis delectatio.

Respondeo generaliter ad prima duo affirmative si votum non sit absolutum, sed restrictum ad actum externum
e. g.

e. g. non accedendi uxorem, quo casu delectatio morosa non est materia voti, Valq. *D. 112. num. 9. & 10.* Pal. *p. I. tract. 2. D. 2. p. 10. §. 2. num. 13.* si autem votum sit illimitatum.

Respondeo ad primum, illicitam esse illis delectationem de copula habita, aut habenda quia voto castitatis contrariatur omnis delectatio sensibilis venerea, ita Sanch. *lib. 9. de Matr. D. 44. n. 25.* Valq. *cit. num. 10.* Pal. *num. 12.* contra aliquos apud Sanch. *num. 20.*

Respondeo ad secundum etiam negative cum citatis contra aliquos, nam etsi tali non sit absolute vetita copula, cum teneatur reddere, vi tamen voti debet abstinere ab omni delectatione carnali, quantum est ex se, seu fieri potest citra injuriam alterius.

Respondeo ad tertium, negative cum Sanch. *n. 21.* Pal. *n. 13.* quia hoc impedimentum est extrinsecum arcens duntaxat à delicti petitione in poenam delicti, ergo non debet extendi ad delectationem. Idem dic si copula propter salutis, aut abortus periculum sit illicita.

814. Quæres tertio, cum conjugii dubio de valore matr. sit interdicta debiti petitiõ, an etiam inhibita sit delectatio sensitiva. Respondeo affirmative cum Sanch. *num. 24.* Pal. *num. 15.* quia dubius de valore matrimonij non habet jus ad ullas delectationes, nisi quantum est necessarium ad servandumius alterius conjugis, cui reddere debet, quo casu est illi licita, secus extra casum redditionis, unde tali non licet sensuivè delectari sub conditione, si alter petat: quia conditio non purificata, sicut facit copulam illicitam, ita etiam sensibilem delectatio-

nem. Secus delectationem voluntatis, aut gaudium, siquidem etiam solatis est licita spiritualis delectatio, aut gaudium de accessu ad feminam, si esset sua, cit. Sanch.

815. Quæres quarto, Estne lethalis culpa in conjugè, qui in actu conjugali aspicit, aut imaginatur sibi alterius personæ pulchræ feminae, aut viri faciem. Respondet Sanch. *D. 17. nu. 6.* affirmative si aspectus, aut imaginatio sit personæ carnaliter dilectæ, id est, inquit, Sporer *tract. 1. Proximali cap. 6. num. 44.* efficaciter desiderantis eam hic, & nunc habere loco conjugis aut morose se oblectantis in imaginatione illius personæ quasi præsentis loco conjugis.

Ratio quia in primo, causa est adulterium propter efficaciam actus, in secundo vero est delectatio de objecto lethaliter malo, imò etiam hanc esse contra fidem matrimonij, proinde adulterium docet Valq. *D. 114. in fin.* addens tamen sibi hoc non esse certum, unde oppositum ut probabile defendit, Tamb. *per num. 506.* & tradit, Pal. *§. 4. num. 4.*

Si vero aspectus, ac imaginatio non versetur circa personam carnaliter dilectam, sed ut naturaliter delectantem ratione pulchritudinis, formæque amabilis, non agnoscat lethalem culpam, etsi id faciat ut sic excitetur ad copulam conjugalem, Sanchezium sequitur Sporer, mihi vero placet mens Gobat *tr. 10. num. 669.* simpliciter reprobantis ob apertum periculum carnalis dilectionis erga personam cogitatum, reprobat etiam Cardenas *Crisis D. 42. num. 44.* refutans assertum Sanchez non agnoscentis lethala-

lethale in conjugato, qui in sola pulchritudine feminae ita delectaretur, ac posset in cogitatione arboris pulchrae delectari ut, vel sic ad copulam conjugalem excitaretur.

Ratio est quod cogitatio pulchritudinis non excitet ad copulam conjugalem, nisi excitet Spiritus carnales, hos autem

eatenus commovet, quatenus cogitatur pulchritudo feminae, ut suae carni delectabiliter conveniens, ergo non delectatur in sola pulchritudine, sed etiam in delectabilitate objecti, è contra cogitatio arboris pulchrae non commovet

Spiritus, nec excitat ad copulam.



§. VI.

An delectationes venereae sint ejusdem speciei cum opere.

§ 16. Certum est affectus efficaces e. g. desideria efficacia induere eandem speciem, quam habet ipsum opus externum, sic desiderans copulam cum soluta, conjugata: consanguinea persona DEO per votum castitatis dicata committit in affectu speciem fornicationis, adulterij, incestus, ac Sacrilegij. Difficultas igitur est, an mente versans unam ex his copulis, ac se morose delectans illarum aliquam e. g. copula cum conjugata malitiae contra castitatem, cui soli opponitur delectatio de copula cum soluta, addat in iustitiam adulterij, si cum consanguinea malitiam incestus contra virtutem pietatis, si cum Religiosa malitiam Sacrilegij contra Religionem. Ubi rursus conveniant omnes, quod si delectatio feratur in praefatas circumstantias speciem mutantibus, evadat ejusdem speciei; cum opere, ut si quis habeat delectationem de copula habita, aut habenda cum conjugata ut

conjugata est, cum consanguinea ut consanguinea est &c. ita ut objectum movens non sit sola delectabilitas, sed etiam iniustitia &c.

Hoc autem nunquam contingere existimat Pal. p. 1. tract. 2. D. 2. p. 10. §. 4. num. 7. quia circumstantia conjugij, consanguinitatis &c. parum, aut nihil deservit delectationi, ergo circumstantia ejusmodi non movent ad delectationem, sed ab ijs intellectus praescindit, consequenter delectatio eas ut objectum non respicit, quod etiam faterur Sanch. lib. 1. Decal. cap. 2. num. 11. si delectatio non feratur in opus externum secundum totam suam malitiam apprehensum, ut si apprehendat feminam ut non suam, non tamen ut nuptam, aut DEO Sacratam &c. Delectatio non habet totum operis malitiam, sed duntaxat apprehensam, nempe simplicis fornicationis. Ejusdem sententiae est Sporet n. 24.

R. P. Karch, Diff.

Gggg

Du-

Duplex est sententia: una sustinens identitatem speciei moralis cum opere, ita Sanch. cit. Azor & alij; Altera negans cum Vasq. *D. 112. cap. 2. Less. lib. 4. cap. 3. num. 123.* eam pluribus argumentis roborans, Rhodes de peccatis *D. 1. quæst. 3. S. 3. §. 3.* Cardenas *D. 44. à num. 47.*

817. Respondeo mihi præplacere negativam Ratio est, quia delectationes quæ sunt duntaxat venereæ, solum respiciunt delectabilitatem veneream, sed circumstantiæ objecti e.g. adulterij, incestus &c. non sunt delectabilitas venerea, sed ratio injustitiæ in copula cum conjugata &c. ergo delectationes venereæ non respiciunt circumstantias objecti, consequenter ab his non specificantur, uti specificantur desideria saltem efficacia, feruntur enim in opus prout est in se cum circumstantijs acceptum.

Ex allata ratione Cardenas colligit *num. 50.* delectationes venereas internas esto non specificentur ab opere externo sumpto secundum circumstantias, specificantur tamen à delectabilitate operis externi, sola enim delectabilitas est illarum objectum formale, ergo specificantur ab objecto formaliter sumpto, id est, sumpto secundum rationem formalem moventem, quæ ratio est præcisè delectabilitas operis externi.

Dices pro sententia affirmativa: dum te oblectas cum conjugata in copula, placet tibi, & est grata copula cum conjugata, sed copula cum conjugata est copula adulterina, ab illa enim est inseparabile adulterium, ergo placet tibi, estque grata copula adulterina, sed compla-

centia in adulterina copula est in specie adulterij.

Respondeo concludere argumentum si placentia sit voluntas approbativa copulæ cum conjugata, talis enim placentia est voluntas operis; fertur enim in copulam cum conjugata ut tali verum delectatio venerea interna non habet pro objecto copulam cum conjugata, ut tali, seu reduplicative, sed fertur in copulam quæ fuit cum conjugata, respicitque feminam præcisè ut formosam, & à se amatam. Quamvis ergo in opere non sit separabilis una malitia ab altera, potest tamen separari in delectatione: idque bene probat exemplis cit. Less. sic videns suum inimicum malè tractari in loco sacro, si delectatur ejus calamitate, peccat peccato odij: non Sacrilegij, licet opus utranque malitiam contineat, quia cognitio loci Sacri non influit: similiter audiens verba faceta, quæ sunt simul contumeliosa, impura, ac detractoria, potest ijs delectari, quatenus risum excitant, quin delectetur iisdem, ut contumeliosis, impuris, ac detractorijs.

818. Quæres primo, an omnes delectationes venereæ sint ejusdem speciei, sive delecteris de copula humana naturali, sive Sodomitica, sive Bestiali, sive de Pollutione. Aliqui affirmant cum Dian. *p. 1. tract. 7. Resol. 48. & p. 2. tr. 3. Miscell. Resol. 34.* attribuentes suam opinionem Patri Vasq.

Verum hos Authores errasse in intelligentia opinionis Vasq. qui primus docuit diversitatem malitiæ delectationum venerearum à malitia operis externi. Doctrina Vasq. *num. 5.* consistit in hoc asserto: delectationes internæ venereæ sunt

in

in eadem specie cum opere luxurioso, id quo est delectatio, secundum totam malitiam, quæ in genere luxuriæ continetur in opere. Hinc cit. num. 5. concludit, quod delectatio de quovis genere fornicationis, nempe sive sit cum soluta, sive conjugata, sive consanguinea, sive rapta, sive DEO per votum dicata habeat eandem malitiam cum opere quatenus est contra castitatem in specie luxuriæ directe, hæc autem est malitia simplicis fornicationis, nam circumstantiæ diversa puta conjugij, consanguinitatis, voti &c. non sunt intra genus luxuriæ, siquidem non sunt delectativæ, ergo omnes delectationes venereæ de opere luxuriæ naturalis sunt ejusdem speciei.

Eodem modo pergit cit. loco Vasq. delectatio de opere luxuriæ contra naturam est ejusdem speciei cum opere, nempe secundum totam malitiam, quæ in genere luxuriæ continetur in tali opere externo, hæc autem est specie diversa à malitia operis externi luxuriæ naturalis.

Respond. nunc primo, delectationes morosas venereas internas de quacunque copula naturali, sive cum soluta, sive conjugata, sive voto castitatis ligata habere eandem speciem malitiæ simplicis fornicationis, proinde malitiam diversam à malitia operis. Ratio est, quia objectum totale delectationis est sola delectabilitas venerea, quæ reperitur in opere externo, sive copula, sed hæc est ejusdem speciei in quavis naturali copula, circumstantiæ enim allatæ annexæ copulæ non sunt delectabilitas venerea, proinde non movent, nec specificant delectationem,

nisi expresse sint volitæ per num. 816.

819. Respondeo secundo, delectatio quavis venerea de opere luxuriæ naturalis specie differt à delectatione quacunque de opere luxuriæ contra naturam, videlicet à delectatione de Sodomia, bestialitate, pollutione, & harum singulæ differunt specie ab alijs, Cardenas *Crisis Theolog. D. 44. à num. 36.*

Ratio est, ubi est delectabilitas venerea specie diversa, ibi est delectatio venerea interna specie diversa, sed delectabilitas venerea luxuriæ naturalis est specie diversa à delectabilitate luxuriæ contra naturam: copula enim naturalis specie differt à copula contra-naturali in esse luxuriæ, ergo delectabilitas movens ad illas etiam differt specie una ab altera: rursus delectabilitas pollutionis differt specie à delectabilitate Sodomitica, & bestiali, ac vicissim, ipsa enim opera quibus inest specie differunt uti constat ex Alex. VII. damnata propositione 24. *mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infima, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.*

Ratio specificæ diversitatis horum operum contra naturam est, quod dicant specialem dissonantiam cum recta ratione, & virtuti, castitatis diversimode opponantur: mollities enim præcisè impedit generationem à natura intentam, Sodomia ultra impeditionem castitatis dicit ordinem ad vas ineptum intra speciem humanam; bestialitas præter ambo præfata respicit ordinem ad suppositum alienæ speciei, cui ordo naturalis intentus à natura in effusione seminis summè contra-

riatur, siquidem magis est contra rationem hominem conjungi cum bestiis, quam homines inter se indebitè, sive in vase indebitò conjungi, differunt ergo specie infima, & solum conveniunt in specie subalternà luxuria.

Ex his peccatis contra naturam est gravissimum bestialitas; hâc gravior est concubitus cum Dæmone assumente speciem humanam: post bestialitatem est Sodomia, quæ antonomasticè vocatur scelus nefandum; hanc sequitur gravitate mollities, hæc enim cum sit profusio seminis extra vas à natura ordinatum ad ejus receptionem est gravior in genere luxuria alijs peccatis contra castitatem, ita S. Th. 2. 2. *quest. 154. art. 14.*

320. Adverte cum Cardenas *n. 38.* delectationem internam à suo proprio objecto nimirum ab externo opere non specificari tanquam ab effectu (ab hac enim specificatur efficax desiderium) sed tanquam ab eo: quod formaliter attingit, & de quo præcise, & formaliter delectatur: nam delectationis actus essentialis tendentia est in objectum delectabile, sive illud dicas esse objectum materiale, sive formale motivum: ergo necessario suam speciem desumit ab objecto, non quod accipiat suam bonitatem aut malitiam, quam in se habet objectum, sed quod alterutram habeat per ordinem, & habitudinem ad ipsum objectum, sic actus detestans DEUM non participat DEI bonitatem, suam tamen malitiam accipit per ordinem ad habitudinem cum DEO.

Dices actus detestationis DEI malitiam non habet à suo objecto, quod est

DEUS, sed ab oppositione cum virtute Charitatis. Contra sic arguit Cardenas *num. 40.* ideo detestatio DEI specialiter opponitur dilectioni DEI, quia in esse detestationis respicit DEUM infinite bonum, ergo universaliter ceteri etiam actus suam malitiam habent eatenus per oppositionem cum tali virtute, quia essentialiter tendunt in hoc, aut illud objectum oppositum huic, aut illi virtuti. Nec hoc negasse Vasq. notat Additionator Vasquezij 1. 2. *D. III. cap. 5. n. 21.* nimirum quod simplex delectatio sumat malitiam ab actu externo ut ab objecto, negasse vero quod habeat ab illa ut effectu derivatam, quod verissimum est.

Quæres secundo, an gaudium de rebus venereis, ac de ijs desiderium inefficax sint ejusdem speciei cum opere, de quo quis gaudet, aut quod quis inefficaciter desiderat. Respondeo primo, ad utrumque affirmativè, cujus rationem revide *n. 578.*

Respondeo secundo, probabiliter desiderium inefficax operis venerei esse ejusdem speciei cum delectatione morosa venerea, proinde non habere malitiam, quam habet opus externum ex circumstantijs, De gaudio super malis proximi distinctis à re venerea etiam dixi *num. 589.* probabiliter non diversificari specie pro diversitate specifica malorum, quia gaudium cum sit actus voluntatis, potest ferri in hujusmodi mala omnia sub ratione communi mali: gaudens autem de actibus externis venereis præteritis non fertur in delectabilitatem carnalem ut sic, sed in eam cujus à se facta meminit, approbat enim opus carnale

nale factum, approbans vero factum suum approbat etiam circumstantias ipsius consequenter approbat malitiam totam operis.

Ex quo sequitur gaudium de aliquo opere venereo esse ejusdem speciei cum

opere, ut si gaudes de commisso adulterio, aut incestu, aut Sacrilegio cum monialis reus adulterij, incestus, & Sacrilegij, in quo puncto nullum ex doctoribus reperio contradixisse, etsi complures pervolverim.



§. VII.

Enodantur aliquot quæsitæ de delectatione morosa venereæ & commotione Spirituum genitalium.

§ 21. **R**efricanda hic est memoria cogitationis duplicis speculativæ, ac practicæ de objecto venereo, harum explicationem dedi *num. 82.* numero autem sequente practicam divisi in tepidam, intensam, ac vehementem exinde intuli *num. 114.* purè speculativam de objecto venereo esse licitam, practicam vero non conjugatis esse illicitam, non tamen mortaliter, si leviter solum commoveat Spiritus carnales per *n. 115.* ex Carden. *Crisis Theolog. D. 42. num. 138.*

Quares primo, an delectatio speculativa de objecto venereo sit illicita. Respondeo affirmative: quia delectatio speculativa venerea est illa, quæ sequitur ad cognitionem proponentem objectum venereum non modo delectabili, sive non alliciente, & provocante ad delectationem sensibilem, sed etiam talis delectatio de objecto venereo est illicita, ergo &c. minor probatur, quævis compla-

centia voluntatis gaudens absque delectatione sensibili de actu Sodomitico formaliter malo est illicita, sed talis complacentia est delectatio speculativa de objecto venereo, ergo quævis delectatio speculativa de objecto venereo est illicita. Major hujus Syllogismi est omnium per *num. 86. Vers. Amplia conclusionem.* Minor est ex definitione delectationis speculativæ Spiritualis, consequentia est in forma, ita Cardenas *D. 42. n. 24.*

Extende allatum Responsum ad delectationem speculativam in re venerea cum præcisione ex parte objecti à malitia ejus morali seclusa omni sensibili delectatione, & commotione carnalium Spirituum ita Cardenas *num. 26. ex D. 41. num. 28. 40. & 109. contra Pal. p. 1. tract. 2. D. 2. p. 10. §. 2. nu. 22. conclus. 4.* Tambur. *lib. 10. Decal. cap. 5. §. 1. num. 3.* nempe foret tunc adhuc illicita delectatio ex parte delectationis, etsi non sit illicita ex parte objecti, siqui-

dem supponitur voluntas ferri in objectum venereum ut præcisum à malitia morali: nihilominus adhuc delectationem in se esse illicitam demonstratur pluribus exemplis. Primum si amens vulneret Petrum, vulneratio hæc non est moraliter mala utpote actio non libera, sed necessaria, peccat tamen graviter contra charitatem gaudens de illa vulneratione ut noxia est Petro, quæ malitia non est ex objecto, sed est propria delectationis, cum sit contra rationem proximo malum velle etiam inefficaciter, aut sibi in eo complacere, ergo etiam complacentia spiritualis de objecto venereo illicito in se potest esse, & est ex parte actus seu in se illicita, etsi ex parte objecti sit præcisà à malitia morali, idque rursus patet in exemplo copulæ conjugalis alienæ, in qua si te oblectes voluntate citra omnem etiam sensibilem delectationem peccas malitiâ se tenente ex parte delectationis, quam non accipit per ordinem ad objectum, cum hoc possit in se non esse malum moraliter, ut patet in copula conjugali, aut proponi voluntati ut præcisum, sed ex oppositione, quam habet cum aliqua virtute, uti delectatio de vulneratione Petri opponitur charitati, delectatio de copula conjugali adversatur castitati.

822. Est ne dabilis Regula cognoscendi quanam delectationes sint mala moraliter, quæ sunt de objecto, quo malitia morali ex parte objecti: aut auferatur, aut præscinditur.

Respondeo affirmativè, estque hæc tradita à Cardenas *D. 41. à n. 45.* omnis delectatio est moraliter illicita, quæ habet notabilem oppositionem cum aliqua virtute ex Vasq. *1. 2. D. 111. c. 4.* talis

autem oppositio delectationis cum aliqua virtute contingit, quoties illa de se, stante etiam præcisione malitiæ morali ex parte objecti, est aut contra DEUM, aut proximum, aut contra ipsum se delectantem. Hoc ultimum est in delectatione sensibili interna de actu venereo, qui hic, & nunc non licite potest ab eo exercere, ut patet in solutis à matrimonio.

Delectatio contra DEUM hic intelligitur, quidquid respectu DEI, aut Sanctorum ejus est indecens, contumeliosum, aut qualitercunque irreligiosum, seu irreverens: sic delectatio de concubata imagine sacra ab amente etsi careat malitiâ morali ex parte objecti, uti & delectatio spiritualis de copula cum sancta Cælesti, quamvis à copula fiat præcisio malitiæ est quædam irreligiositas, seu irreverentia opposita Religioni.

Delectatio contra proximum patet in exemplo gaudij super vulnerato Petro ab amente, dum fertur gaudium in vulnerationem qua noxiam Petro ut dictum numero superiore.

Neque dicas quod termini sint implicatorij, dum asseritur gaudium de vulneratione Petri prout huic noxia ferri in vulnerationem præcisam à morali malitia, cum vulneratio qua nocens Petro sit objectum moraliter malum, ergo non præscindit ex parte objecti à malitia, aliunde assertio supponit præscindi. Respondeo voluntatem duplici modo posse tendere in actionem occisionis Petri primo in eam ut præcisam ab occisione libera, vel necessaria, hoc modo occisio præscinditur ex parte objecti à malitia morali, siquidem hæc est impossibilis sine libertate. Secundo in eandem ut noxiam Petro,

ero, hoc modo non præscindit à malitia morali, *ly prout* utrumque modum tendendi potest denotare, prout denotat primum, delectatio de occisione præscindit à morali malitia; prout vero denotat secundum, non præscindit à malitia nempe tenente se ex parte delectationis, nulla igitur est terminorum implicancia, quam tollit diversus modus tendendi. Igitur occisio prout est objectum delectationis, si *ly prout* denotet priorem modum tendendi delectationis est præcisà à malitia, secus si *prout* significet alterum modum tendendi delectationis. Ita more suo ingeniose respondet Cardenas à *num.* 49.

Revocanda hic sunt ea, quæ explanata sunt de affectibus conditionalibus quorum multos de objectis malis sub conditione præscindente illa à malitia morali dictum est ex parte actus seu secundum se illicitos, esto spectato objecto præcisè sint liciti.

§ 23. Quæres secundo an delectatio sive spiritalis, sive sensibilis de objecto venereo (de qua actum est *num.* 806.) sit certò, aut solum probabiliter illicita? an gaudium de fornicatione secundum rationem copulæ, quæ abstrahat à fornicaria, & conjugali seclusà sensibili delectatione, & periculo sit peccaminosum. Ratio negandi, quia copula ut sic non est objectum malum, sed indifferens ad speciem copulæ fornicariæ, & conjugalis, quarum posterior est licita, illicita vero prior. Exinde autem infertur quod si gaudium sit licitum de copula ut sic abstracta à malitia, etiam licebit gaudium de fornicatione præcisà à malitia morali, nam est perinde gaudere de objecto præ-

ciso per præcisionem à malitia, atque de objecto, à quo præscinditur malitia per abstractionem.

Respondeo ad primum spiritualem delectationem de objecto illicito venereo ut moraliter malo etiam non associatam delectationi sensibili, aut commotioni spirituum esse mortifere illicitam esse evidens, quia ex terminis est evidens esse illicitum velle id, quod est formaliter malum morale, ita Cardenas *D.* 42. *n.* 138. *ex Disputatione* 41. *num.* 33.

Loquendo autem de delectatione spiritali solius voluntatis de objecto venereo illicito, etiam non associatà sensibili internâ, aut externâ esse illicitam, quamvis absit omne periculum delectationis sensibilis, & fiat ex parte objecti præcisio à morali malitia. Hæc conclusio est certa, nullus enim oppositum docuit, sic gaudium, aut complacentia de pollutione, bestialitate, sodomia, et si absit sensitiva delectatio, ac præscindatur à morali malitia, est difformis rationi, & contrariatur notabiliter castitati, cum non minus turpe sit gaudere de actu sodomitico etiam materialiter malo, quam de vulneratione Petri causata casualiter, aut ab amente, sed istud est contra charitatem, ergo etiam illud est contra castitatem, cit. Cardenas *D.* 41. *num.* 130. *juncto num.* 109.

Amplianda est conclusio ad delectationem internam sensibilem, sive ad actum appetitus corporei de objecto venereo hic, & nunc illicito etiam præcisà habitudine, quam habet præfata delectatio ad commotionem spirituum in sensu externo, ita Cardenas cit. *num.* 138. *juncto*

juncto num. 115. & sequentibus, delectatio enim sensibilis interna de copula sodomitica etiam præcisâ commotione spirituum, & ab habitudine ad eam apparet deformis rationi, & castitati; nisi enim graviter foret difformis seclusâ commotione, & ad hanc habitudine conjugatus posset sine peccato lethali delectari delectatione interna sensibili de copula sodomitica, aut de copula cum non sua, etsi hanc delectationem committeretur commotio spirituum, quia in conjugato etsi alter conjux abest commotio spirituum non est mortaliter illicita juxta præmissâ à *num. 812.* falsum autem est talem delectationem esse conjugato illicitam cum illi erga copulam sodomiticam, aut cum non sua plus non sit licitum, quam cæteris, ergo certum est, quod etiam independentem à commotione, & habitudine ad istam delectatio quævis sensitiva de objecto venereo sit mortaliter illicita.

Hinc ampliacioni proxima locus est etiam in delectatione spirituali associata actui delectationis corporeæ appetitus sensitivi, Cardenas *num. 115.*

824. Respondeo ad secundum in quaestione secunda propositum advertendo esse modum loquendi improprium, dum dicitur gaudium de fornicatione secundum rationem copulæ abstracta à fornicaria, & conjugali, quomodo enim possit esse gaudium de fornicatione in eo, qui gaudet de objecto delectabili abstracto à fornicatione; unde recte probatur ratio negandi, quod delectatio de copula in communi præcisâ à fornicaria & conjugali secundum se non sit illicita: transeat autem dictus modus loquendi, & admittatur ratione negandi de delectatione, quæ

fertur in copulam ut sic, seu communem, negatur autem sequela inde deducta, nempe quod liceat gaudere de fornicatione præcisâ à malitia morali, ad ejus probationem est magna differentia inter abstractionem copulæ à fornicaria, & conjugali ac inter præcisionem copulæ fornicariæ, & sodomiticæ à malitia morali, quia etsi præcisandatur à malitia morali, adhuc tamè adequate potest cognosci fornicatio, & sodomia in esse suo materiali constituta, malitia enim moralis, sine qua cognoscitur, est extra ejus essentiam, siquidem ad moralem malitiam requiritur advertentia & libertas, quæ sunt extra essentiam materiale fornicationis ac sodomie. E contra dum copula abstrahitur à fornicaria ac sodomitica, & conjugali, non cognoscitur totum, quod constituit fornicationem in esse talis, aut copulam conjugalem ut talem, copula enim ut sic, seu in communi est solum pars generica constitutiva fornicationis, idcirco de copula in communi est licita delectatio spiritualis, seu voluntatis, sicut licitum est gaudium spirituale de præteritâ conjugali, ac desideritum de futura similiter conjugali secundum omnes apud Sanchez *lib. 9. de Matrim. D. 47. num. 1.* Responsio autem tota est Cardenas *num. 136.*

825. Quæres tertio an delectatio venerea externa resultans ex delectatione venerea interna specificetur ab objecto venereo: cogitato, & hujus circumstantijs non spectantibus ad genus luxuriæ. Præmittitur *ex num. 818.* quod objectum formale motivum delectationis internæ sit sola delectabilitas venerea reperta in opere externo, unde pro hujus specifica diversitate etiam est specifica diversitas delectationis

tionis venereae internae, quae est actus appetitus sensitivi *per num.* 805. delectabilitas autem venerea contenta in actibus externis venereis naturalibus specie morali differt intra genus luxuriae à delectabilitate propria venerea actibus externis venereis contranaturalibus ut in pollutione, sodomia, & bestialitate *per num.* 819. proinde delectatio venerea interna de operibus carnis contranaturalibus specie morali differt ab interna, quae est de operibus externis carnalibus naturalibus, sicut haec opera ab illis specie differunt.

Utrum delectatio morosa venerea interna de opere externo venereo specificetur non modo ab objecto ipso, quod est delectabilitas, sed etiam à circumstantia ejus videlicet conjugij, consanguinitatis, stupri, aut voti castitatis personae DEO dicatae decidi *num.* 817.] probabilius quod non. Demum delectatio venerea externa est sensatio carnalis potentiae sensitivae externae, seu activae habens pro objecto commotos spiritus, ac ceteros actus externos venereos quemadmodum exposui *num.* 805. Haec omnia pro resolutione praesentis quaestionis praec oculis sunt habenda.

Respondeo primo affirmative secundum opinionem probabilem quae docet quod delectatio interna specificetur etiam à circumstantiis objecti venerei externi non spectantibus ad genus luxuriae, ita Cardenas *Crisis Theolog. D. 44. à n. 92.* probatur objectum formale motivum delectationis internae est delectabilitas venerea operis externi, sed haec delectabilitas in opere externo naturali est specie diversa pro diversitate circumstantiae annexae

R. P. Karch. Diss.

operi externo, etsi circumstantia sit extragenus luxuriae, ergo etiam delectatio interna habens eam pro objecto formali motivo est specie diversa, sed objectum formale motivum delectationis internae est objectum specificativum delectationis externae ergo, &c. Syllogismus totus est evidens juxta praemissa. Subsumpta propositio est Cardenas à *num.* 83. voluntas enim formaliter, aut virtualiter efficax totam refundit malitiam in actum externum intentum, sic ex odio, aut invidia homicidium imperatum participat extrinsecè malitiam odij, aut invidiae: praecipue vero malitia, quam actus efficax imperans habet ex suo formali objecto, refunditur, cum ergo formale motivum odij, ex quo quis occidit e. g. Petrum, sit malum Petri ut malum ejus est, ideo occisio malitiam odij participat à voluntate occidendi, haec vero malitiam homicidij accipit ab occisione tanquam ab objecto materiali, actus enim efficax est particeps malitiae operationis, ad quam efficaciter determinat.

826. Nunc sic arguitur: actus formaliter, aut virtualiter efficax suam malitiam transfundit in actum externum, ad quem determinat, sed quaevis delectatio venerea interna libera de objecto externo venereo est actus liber efficax formaliter, aut saltem virtualiter respectu commotionis spirituum, aut alterius delectationis externae, ergo quaevis delectatio venerea interna libera transfundit suam malitiam in actum externum ad quem determinat, ergo cum delectatio interna secundum sententiam probabilem, quam responsum supponit participat malitiam ab objecto venereo cogitato

H h h h

to

to accepto etiam cum circumstantijs suis, quæ sunt extra genus luxuriæ, eandem malitiam participat etiam delectatio externa. Totus discursus est legitimus. Major est proxime probata in actu interno ex odio imperante occisionem. Minor probatur illa voluntas est efficax saltem virtualiter respectu operationis externæ, quæ est causa per se determinans ad operationem, esto hanc non habeat pro objecto, sed delectatio interna venerea est causa libera per se omnino determinans ad operationem, nempe ad commotionem spirituum, & delectationem externam, esto eam non habeat pro objecto, ergo delectatio interna venerea est saltem virtualiter efficax, ergo est causa libera per se omnino determinans ad externam delectationem, & commotionem. Major declaratur exemplo odij: Petrus v.g. odit Paulum, & ex isto odio omittit dare Paulo Eleemosynam extreme egenti: Iste actus odij licet non habeat pro objecto omissionem Eleemosynæ, sed Pauli malum qua tale, attamen est virtualiter efficax respectu omissionis, quia omnino determinat ad illam estque causa per se omissionis per modum antecedentis illativi. Minor etiam probatur delectatio morosa interna quamvis sit formaliter inefficax respectu operis externi, ex cujus cogitatione procedit, est tamen virtualiter efficax respectu commotionis spirituum, quia est virtus per se determinans ad horum excitationem, imò & ad pollutionem, quando est delectatio vehemens interna diu durans, hæc enim per se provocat ad summam spirituum commotionem, Carde. num. 65. juncto num. 68.

827. Respondeo secundo ad questionem tertiam probabilius negativè, nempe delectationes externas non specificari ab objecto cogitato non pertinente ad genus luxuriæ, quale objectum sunt circumstantiæ adulterij, incestus, sacrilegij cum persona DEO per votum dicta, stupri, &c. ita Cardenas num. 97. probatur objectum formale motivum delectationis internæ est objectum specificativum delectationis externæ provenientis ab interna, Cardenas num. 93. estque probatum in responso num. 825. sed formale motivum delectationis internæ de objecto habente circumstantias extra genus luxuriæ non specificatur ab istis, sed à sola delectabilitate reperta, uti est elucidatum num. 817. ergo etiam delectatio externa non specificatur à circumstantijs adulterij, incestus, sacrilegij, stupri utpote non pertinentibus ad genus luxuriæ.

Ex hac assertione deducit cit. Cardenas, quod, dum quis se polluit ex motivo delectabilitatis copulæ cum conjugata, etsi pollutio participet speciem per ordinem ad copulam, quam cogitat, non tamen participat per ordinem ad circumstantiam adulterij. Idem est de alijs circumstantijs incestus, sacrilegij &c. objectivi.

Placet hic observare cum Card. num. 30. malè confundi hæc duo: specificari ab aliquo termino, seu per ordinem ad aliquem terminum: & participare malitiam ab aliquo termino: esto enim verum sit, quod, quoties actus participat bonitatem, aut malitiam, quæ est in objecto, ab isto specificetur; at non vicissim, quoties specificatur ab aliquo objecto, eo ipso participet hujus bonitatem, aut

aut malitiam sic actus charitatis DEI specificatur à DEI bonitate reali, seu per ordinem ad illam, non tamen participat bonitatem infinitam, quæ est in DEO.

828. Quæres quarto, an commotio spirituum genitalium voluntaria sit peccatum mortale in specie inchoatæ pollutionis, aut fornicationis, aut alterius speciei luxuriæ naturalis, vel contranaturalis. Constat ex superioribus à *num.* 83. commotionem spirituum esse triplicem: tepidam, mediocrem, & vehementem, hæc sola re ipsa determinat ad pollutionem, secus tepida, ac mediocris, hujus causa voluntaria non imputatur ad lethalem culpam, dummodo non intendatur delectatio venerea, quæ sequitur ex commotis spiritibus, in hac enim non datur parvitas materia: uti fusius superius monstratum est.

Respondéo primò voluntaria vehemens spirituum commotio est peccatum mortale in solutis, quia est causa per se determinans ad pollutionem, sed causa voluntaria per se determinans ad pollutionem in solutis est mortalis; in solutis, inquam, quia conjugatis est licita, dum se præparant ad copulam conjugalem. vide *n.* 116. ubi contemplantem ex causa urgente objectum venereum excusavi à mortali, etsi prævideat vehementiam commotionis citra periculum consensûs in veneream delectationem.

Pro clariore dicendorum notitia observandum primo, quod practica objecti venerei cognitio sit illicita positivè, & efficaciter volita; quia est causa per se commovens spiritus genitales, seu generationis, & ad hunc finem per se à natura de-

stinata, nam sine ea nequit generatio inchoari, nec promoveri, ea enim, & appetitione objecti venerei cessante intra corpus humanum non datur causa, à qua inchoetur, & promoveatur generatio. Dicta cogitatio practica non est causa efficiens commotionis spirituum, sed determinans, sicut etiam appetitio sensus corporei terminata ad venereum objectum. Igitur tam cogitatio, quam appetitio ad commotionem spirituum determinant per Symphaticam connexionem, quam habent cum commotione, id autem sufficere, ut cogitatio, ac appetitio sit causa per se commotionis est manifestum in voluntate efficaci quæ est causa per se actuum externorum, ut localis motûs, locutionis, &c. etsi non causet eos efficienter. Et quamvis non sit causa immediata physica commotionis, est tamen hujus causa immediata in genere moris, id est in astimatione prudentum, juxta quam etiam causa mediata est causa per se, cui verè attribuitur effectus, ut patet in consilio, quo consulis Petro furtum, omnia hæc solidè & copiosè profequitur Cardenas *D.* 42. à *num.* 91. unde *num.* 114. probat quod cogitatio practica objecti venerei sit profusionis seminis inchoatio, siquidem natura instituit cogitationem practicam, & appetitionem ut causas per se promoventes opus generationis, quapropter eas ponens dicitur inchoare seminis effusionem, sicut in artefactis dicitur opus inchoari, quando instrumenta destinata ab arte incipiunt operari in materia. Omnis itaque delectatio venerea interna est causa per se determinans plus, minus pro ejus diversitate ad commotionem spirituum, Cardenas

D. 44. num. 30. subdens num. 33. quod quandoque incipiat commotio Spirituum consequenter delectatio externa ante delectationem internam; quo casu delectatio externa non potest specificari à motivo delectationis internæ, atque adeo ejusmodi delectatio externa non est comprehensa in quæstione tertia num. 325.

§29. Respond. 2. Voluntaria Spirituum commotio, dum eam homo non ordinat ad speciale genus delectationis, non est in specie inchoatæ pollutionis, sed fornicationis, Cardenas. D. 44. à num. 18.

Ratio primi est, quia si foret de genere pollutionis, tunc talis commotio etiam conjugatis foret mortalis, siquidem his est illicita omnis delectatio venerea contra-naturalis, qualis est pollutio, sed commotio Spirituum secluso periculo pollutionis non est in conjugibus mortaliter illicita juxta num. 312. imò esse licitam est communis Doctorum sensus.

Ratio secundi est, quod commotio fervet malitiam finis proprii à natura intenti, dum alio non refertur, sed finis ejus à natura intentus est generatio per n. 328. quæ extra matrimonium est de genere fornicationis.

Non obstat quod commotio tepida, & mediocris non disponat proxime, seu

ultimo ad generationem, seu fornicationem, quatenus non disponit ultimo ad feminis decisionem, sed pro fine proprio respiciat, quod sit præparatoria carnis ad ipsam generationem, præparatio autem carnis ad generationem est extra matrimonium in linea generationis, consequenter est in linea fornicationis extra matrimonium, Cardenas n. 20.

§30. Dixi dum eam homo non ordinat ad speciale genus delectationis, nam si ordinetur, aliter est respondendum.

Respondeo igitur tertio, ad quæstionem quartam quando quis commotionem Spirituum formaliter, aut virtualiter assumit ut medium ad pollutionem, aut ad copulam Sodomiticam, aut ad bestialem est in specie pollutionis, vel Sodomix, vel bestialitatis, ita Cardenas *Crisis Theolog.* D. 44 n. 25.

Ratio, quia formalis electio mediij participiat malitiam finis per ea, quæ diximus à num. 573. Formaliter refert; si Spiritus commovet, ut sequatur pollutio, aut si in commotione pro motivo habet delectabilitatem pollutionis: virtualiter vero fit relatio, si vult efficaciter commotionem cum prævisione securæ pollutionis, aut periculi ejusdem.

* *





§. VIII.

De delectatione venerea de objecto venereo conditionato remissivè.

§ 31. DE moralitate affectuum conditionalium discussimus multa à num. 550. usque ad num. 563. Ex ibi firmatis à num. 556. colligitur, quod delectatio morosa de objecto venereo sub conditione auferente ab illo malitiam ex parte objecti, seu spectato objecto non sit illicita, nihilominus ex parte actus delectationis saepe potest esse oppositio cum

virtute Religionis; exempla dedi num. 558. & 562. in his exemplis est illicita delectatio venerea etiam purè Spiritualis: sensitiva vero sub nulla conditione quacunq; auferente malitiam ab objecto venereo potest esse licita ijs personis, quibus copula de presenti est illicita per num. 880.

* * *



§. IX.

De delectatione morosa circa objecta non venerea jure naturali vetita.

§ 32. DICENDUM, est, quod delectatio morosa universim de objectis jure naturali prohibitis seu intrinsicè malis sit mortaliter, aut venialiter mala pro gravitate, aut levitate materiae, quando delectationi objiciuntur sub ea ratione, sub qua illis est annexa malitia, ita multi apud Vasq. 1. 2. D. 111. cap. 1. allegantes pro se D. Th. 1. 2. quest. 74. art. 8. nam in Corp. licet exemplum ponat de fornicationis delectatione venerea, ratio tamen ejus probat de quovis opere

mortali, nam in solutione ad 5. docet delectationem de homicidio esse mortalem. Idem sentit Less. lib. 4. de just. cap. 3. num. 112. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 2. num. 9. Ratio est, quia delectatio morosa est quidam voluntatis in rem illicitam motus, sicut actio est motus in effectum, ergo sicut actio libera est mortalis, aut venialis, si effectus est mortaliter, aut venialiter malus, ita delectatio, & gaudium.

Confirmatur delectatio morosa de
H hhh 3 pcc-

peccato cogitato carnali est lethalis *juxta num. 806.* ergo etiam est mortalis de quovis peccato mortaliter malo, ut de hæresi, perjurio, blasphemia.

Delectatio inordinata super propria excellentia est speciale peccatum superbia perfectæ, & quidem mortale, si inordinatè appetens, aut se oblectans nolit DEO, & superioribus subjici.

Dixi primo, *inordinata*, si enim opponitur humilitati, cujus est moderari affectum quemcunque etiam simplicis complacentiæ circa propriam excellentiam, unde ordinata de hac complacentia non est peccatum, ut si complacens sibi se non efferat supra id, quod est.

Dixi secundo *perfecta*, quia dum quis se suo affectu magnificat plus justo, paratus tamen parere DEO, & superioribus est superbia imperfecta venialis.

Delectatio de quovis peccato ut contrario legi, aut mandato est peccatum inobedientiæ, si materia est gravis, & contemptus notabilis superioris, erit mortale oppositum obedientiæ specialis sitæ in affectu explicito parendi superiori.

833. Delectatio morosa juxta Authores nostræ sententiæ fatente ipso Vasq. *num. 17.* potest esse in omni materia peccatorum tum contra primam, tum contra secundam tabulam, si contra primam contingit morosa delectatio mortalis, vel contra virtutem Religionis, ut si placet id, quod est in DEI contumeliam, & contra ejus honorem, aut si placet aliquid contra DEUM quatenus contra DEUM ex displicentia illius apprehenditur.

Contra tabulam secundam est morosa delectatio mortalis in omni materia

gravi peccati contra proximum spectantis ad odium proximi, dum videlicet placet malum proximi in hac aut illa materia, quia malum illius est, ut si placet furtum, homicidium, aliudve malum proximi ut malum ejus est: talis enim est delectatio contra proximi charitatem, aut certe contra beneficentiam erga proximum, hæc enim gaudet de proximi bono quia bonum ejus est.

Delectatio morosa de malo proximi, quia bonum hujus à malo exclusum, proprium bonum falsò credebatur diminuire, est species invidiæ, cit. Vasq. *n. 18.* dicens eam esse non contra Charitatem, sed humilitatem. Coincidit communis definitio invidiæ cum S. Th. *1. 2. q. 36. art. 1.* quod sit *tristitia de alieno bono in quantum hoc falsè creditur propriam excellentiam diminuire.*

Tamb. *lib. 5. Decal. cap. 1. §. 3. à num. 36.* rejicit communem definitionem invidiæ, eo quod ex ea sequeretur invidiam non fore peccatum, nam objectum illius est bonum alienum non secundum se, sed prout est diminutivum boni proprii, atqui tritari de bono prout hoc diminuit bonum proprium, non est peccatum. Idcirco ipse ponit invidiam in voluntate, quæ quis liberè admittit, vel perseverat in apprehensione, per quam quis falsò credit bonum alterius esse causam mali proprii, ex qua apprehensione, non repressa sequitur tristitia de bono alieno tanquam effectus invidiæ. Contra est, quod bonum alienum nequeat re ipsa imminuere bonum proprium, ergo tristitia de bono alieno prout diminutivo proprii boni est inordinata, consequenter peccatum.

834. Quantum sit peccatum invidia delectatio morosa, non est idem omnium sensus. Tamb. *num.* 42. conformiter suae definitioni negat esse mortale, si sit inefficax, id est, si sistitur in dicta voluntaria apprehensione sine periculo (quale facile suboritur) transitus ad graves insidias, damna proximi &c. Verum sentio cum Vasq. & communi ex D. Th. *art.* 3. in terminis tradente esse peccatum ex genere suo mortale utpote oppositum Charitati per motum contrarium, Charitas siquidem gaudet de bono proximi, invidia vero tristatur.

Delectatio morosa in excessu cruciatus est mortalis ex genere suo contra-

ria clementiae importanti, quandam animi: lenitatem diminutivam poenae debita. Dicta delectatio dicitur crudelitas clementiae opposita. *Poenarum excessus quantum ad id, quod exterius agitur inquit S. Th. pertinet ad injustitiam, sed quantum ad austeritatem animi, per quam quis sit promptus ad poenas augendas pertinet ad Crudelitatem.* Si est delectatio in cruciatu citra omnem culpam dicitur veritas, & savitia sic dicta à feris hominibus noxijs, horumque corporibus se pascuntibus, qualis delectatio non est humana, sed bestialis specie diversa à crudelitate, ita S. Th. 2. 2. q. 159.

art. 1. & 2.



§. X.

De delectatione morosa rerum iure positivo prohibitarum.

835. Dicendum est, quod delectatio morosa de operibus iure positivo vetitis materialiter seu secundum substantiam sumptis non sit per se lethifera, Pal. p. 1. *tract.* 2. D. 2. p. 10. §. 2. *num.* 22. Less. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 113. Sanch. *lib.* 1. *Decal.* *cap.* 2. *num.* 10. contra Herinx hic D. 7. n. 29. & multos alios probatur illa delectatio per se non est mala saltem lethaliter, cujus objectum per se non est illicitum, sed opus extrinsece malum, seu iure positivo vetitum, sumptum materialiter, seu se-

cundum substantiam non est illicitum, sic enim praescindit à circumstantia praeepti, à qua sola vitatur.

Infero cum Rhodes hic D. 1. q. 2. S. 3. §. 2. non peccare eum, qui in quadagesima delectatur cogitando esum carnis: proinde Carthusianus secundum cit. Less. delectans se imaginario esu carnis, ac consentiens in Epulas imaginarias ex carnibus, ac in commotionem corporalem (si quae forte in Spiritibus, humoribus, vel in corde sequatur) ac involuptatem hinc resultantem seclusa volunta-

luntate procedendi ad opus externum, est liber à reatu mortali, quia præceptum prohibet solam externam comestionem non tam causâ vitandæ voluptatis, quam mortificandæ carnis, id est, non prohibet delectationem de cogitato esu carniû. Unde affectus simplex erga carnes secluso periculo ulterioris consensûs in opus non est malus, sæpe tamen, inquit, Lessius

leviter delinquitur in tali affectu, quia superflua quæritur delectatio.

Infero secundo, à Religioso non violari votum paupertatis, si delectetur cogitando se habere pecunias, facereque magnos sumptus. Vasq. 1. 2. D. 111.

cap. 3. cit. Rhod,

* *
*



§. XI.

An delectatio morosa sit licita de operibus materialiter malis, & horum desiderium.

836. **S**ensus questionis est, utrum is, qui inculpate, nempe in somno, ebrietate, aut amentia, aut ex ignorantia aut errore invincibili se polluit, aut occidit, aut fornicatus est &c. possit sine peccato de hujusmodi actibus secundum se, & materialiter acceptis, licite delectari, & gaudere, aut eosdem desiderare, ut sic eveniant, videlicet cum causa excusante à peccato.

Divisi sunt Authores apud Sanch. *lib. 1. Decal. cap. 2. num. 15.* Prima Sententia affirmat licere gaudere ob finem bonum, ita Less. *num. 105. Vasq. 1. 2. D. 115. cap. 2. & cap. 3. num. 7.* hic innititur suo principio superius relato, quod simplices affectus, qualis est morosa delectatio, & gaudium non sumant malitiam ab objecto, seu ab opere, cum hujus non sit causa, sed ex opposi-

tionem cum aliqua virtute, at in questione proposita nulli virtuti opponitur delectatio, nisi capta sit ex fine malo; sic etsi pollutio facta sit absque peccato, non licet de ea gaudere libidinose, seu delectari de illa ob ejus delectabilitatem, at bene fas est delectari de eadem materialiter sumpta ex fine utili, aut bono fine, ratio enim movens est bonitas utilis, pollutio enim in somno contingens potest esse utilis ad salutem corporis, ut si copia seminis abundet, imò etiam ad salutem Spiritualem, ut si per effusionem sedata sunt tentationes, ita Vasq. *n. 5.*]

Ex eodem principio infert *num. 7.* licitum esse desiderium inefficax pollutionis propter dictam voluntatem, secus ex affectu libidinis. Consentit Less. etiam quoad desiderium inefficax pollutionis. Ratio aliorum apud Sanch. est, quod

quod talis sit delectatio, quale est opus, de quo est delectatio, & gaudium, sed opus vacat culpâ, ergo etiam gaudium, & delectatio. Addit Less. in *Conclus. 4.* non tantum fas esse gaudere de ipso effectu bono, sed etiam de ipsamet causa propter effectum, sicut gaudemus non de sola tranquillitate publica, sed etiam de morte turbantis illam, & de facto illatoris illius, etsi ratio adæquata motiva gaudij sit bonum publicum.

Alij cum Corduba amplectuntur hanc sententiam in vetitis jure positivo, secus in vetitis jure naturali, quia malitia materialis est de horum substantia, è contra actibus solo jure positivo vetitis, uti sunt esus carniùm die veneris, cœna die jejuniij, substantia commissionis ad-versus præcepta negativa, non est intrinseca malitia, sed tota est extrinseca, ergo delectatio, & gaudium de actibus similibus inculpate commissis non est de malitia morali, sed de re bona.

837. Tertia sententia, quæ videtur Sanchez probabilior universaliter negat etiam de vetitis solo jure positivo *num. 16.* excipiens actus solo jure negativo prohibitos, de quibus proximè dictum: de his enim delectationem non solum spiritualem, sed etiam sensitivam, quam sensus percipit in comestione, carere culpâ probat *num. 10.* nam sensus non attingit circumstantiam legis quæ sola vitiat comestionem, voluntas autem ferri potest in comestionem ut præcisam à circumstantia legis.

Eadem sententia est Paludani, qui apud Vasq. *c. 1.* duplicem tradit Regulam. Prima & universalis hæc statuitur:
B. P. Karch, Diss.

quando causa, quæ opus excusat à mortali peccato, concurrat ex parte consensûs delectationis, excusat etiam delectationem à peccato mortali, sic in conjugatis non modo copula est immunis à culpa, sed etiam delectatio, quia causa excusans utrumque est matrimonium.

Secunda Regula: quoties non concurrat eadem causa in consensu delectationis, quæ opus excusat à mortali, consensus delectationis est mortalis, ut si quis in furia, aut invincibili ignorantia occidat hominem, etsi occisio excusata sit à mortali, minime tamen ab hac excusetur, si sanæ menti restitutus, aut scienter delectaretur de occisione sic patrata.

Subsumo sed in quæstione proposita causa excusans actus materialiter malos à culpa formali est, vel somnus, vel ebrietas, vel amentia, vel invincibilis ignorantia, aut error, quæ causa non concurrat, dum quis scienter delectatur, & gaudet de illis commissis ex causa præfata excusante, ergo delectatio, & gaudium est peccatum mortale.

Hinc solvitur argumentum Less. nuper adductum: talis est delectatio quale est opus, de quo est delectatio, negatur major nisi inbibat hanc tacitè conditionem, si causa opus à culpa liberans reperitur etiam in delectatione, prout reperitur, si gaudeas de homicidio patrato ob necessariam tuam, aut alienam vitæ defensionem, eadem enim libertas est in facto, & in gaudio, & necessitas se defendendi, quæ est causa excusans, utrobique objicitur.

838. Respondeo ergo ad quæstionem *num. 836.* motam mihi magis per placere tertiam sententiam loquendo e-

tiam de operibus jure positivo prohibitis, ut si quis gaudeat se comedisse carnes die Veneris: de vetitis jure naturali bene probat proxime allegata Regula cum subsumpto,

De vetitis jure purè positivo, uti est vetitus e.g. esus carnis probatur, quia opus etiam tale contra jus positivum factum habet annexam circumstantiam juris id vetantis, sed gaudium de tali opere est peccatum mortale, approbat enim opus e.g. esum carniarum, qui habet annexam circumstantiam legis, hujus proinde violationem materialem approbat, nec adest causa, quæ hanc excusavit à peccato, nempe ignorantia, aut amentia &c. quia tempore gaudij supponitur quod gaudens advertat ad legem, quæ prohibet esum carnalem.

Responsio proxima procedit de actibus materialiter malis à peccato formali excusatis, si specificative sumantur, nam de iisdem materialiter malis reduplicative seu ut excusatis à peccato gaudere esse licitissimum constat evidenter, siquidem reduplicatio cadit supra formale, proinde hic supra causam excusantem à peccato, sed licitissimum est gaudere de excusatione à peccato, cum hoc aliud non sit quam gaudere, quod tali facto non peccaveris.

Infero primò licitum esse gaudium de pollutione, prout hæc est actus virtutis expulsiivæ, minimè autem prout est actus potentia generativæ, quia prout est actus potentia generativæ, est contra finem à natura intentum, è contra prout est virtutis expultriciis, est juxta ordinem naturæ, est enim evacuatio consequens ad causas internas naturales eo modo,

quo Sudor. Ratio secundi, quod pollutio prout est actus potentia generativæ sit materialiter mala.

De pollutione prout est actus generationis, vel actus à vi expultrice ortus (relege *num.* 78.) illationem tradit Sanch. *num.* 18. Cardenas *Disp.* 41. *num.* 128.

Infero secundò desiderare pollutionis eventum prout est actus potentia expulsiivæ licitum esse, quia nec est materialiter mala, etsi desideretur, ut eveniat materialiter etiam in vigilia, sed naturalis evacuatio, unde dum ea contingit in ebrietate, aut somno alio impellente, aut cogente naturam, cum non sit naturalis, sed innaturalis evacuatio contra naturam, nullus potest licitè de hac gaudere, nec desiderare illam, Sanch. *nu.* 19. Vasq. *c.* 3. *num.* 7. & 9.

839. Dubitatur 1. an ut gaudium, vel desiderium inefficax pollutionis careat culpâ necesse sit ortum habere ex causa honesta e.g. auditione Confessionis, vel etiam procedat illatio prima, & secunda, etsi sequatur ex causa illicita venialiter, aut mortaliter mala ex se ordinata à natura ad alium effectum, quam ad concitandos Spiritus Carnales, ut crapula, & ebrietas; prior enim est peccatum veniale, secunda est mortale utraque habet alium effectum, quam irritare naturam ad pollutionem. Aliqui apud Vasquez *n.* 9. poscunt causam honestam, verum hoc nimis durum esse censet Vasq. siquidem S. Th. non damnat peccati mortalis pollutionem non intentam ex crapula secutam, consequenter nec damnaret secutam ex calidis cibis, ex equitatione, ex certo situ corporis e.g. quod quis supinus

jaceat

jaceat, &c. Rationem dat, quod ponentis talem causam, si hæc non assumatur ut medium ad pollutionem, sit pollutio duntaxat indirectè voluntaria in causa per accidens, nec sit contra ordinem debitum à natura, huic enim solùm ad-versatur quis, si illam velit directè, vel ponat quamcunque causam ex intentione illius, vel applicat causam, quæ ex se non habet alium effectum, ut si sumat medicinam, cujus effectus unicus sit irritare naturam, aut si tactibus provocetur; sit ut in his casibus sit pollutio mortalis utpote contraria naturæ, secùs dum est in causa per accidens indirectè voluntaria.

Resp. Mihi probari sententiam Vasq. consequenter excuso à mortali gaudium, aut desiderium inefficax pollutionis de ejus tali eventu ob finem bonum e.g. sanitatem, sedatas tentationes, &c. Sanch. cit. & num. 20.

Limitat quidem apud Sanch. ut non sit locus responsio dum pollutio contingit cum commotione corporis, & delectatione sensibili, sed merito hoc reprobatur Sanch. eo quod commotio, & delectatio naturaliter, seu necessario sequatur ad pollutionem, nec impediatur, quo minùs pollutio talis sit naturalis evacuatio.

840. Dubitatur secundo, an sicut licitum est gaudium de effectu bono secuto ex opere malo e.g. de prole suscepta ex fornicatione, de sanitate ex pollutione, ita etiam licitum sit gaudere de ipsamet causa propter effectum (seu ut loquitur Sporer p. 1, tr. 1, c. 6, num. 32. de ejusmodi re materialiter mala quatenus causa fuit alicujus boni effectus inde secuti, atque in hoc consentire Doctores,

allegatque pro hac opinione Vasq. D. 115. c. 3. Sanch. num. 18. Less. num. 140. Lugo de Pœnit. D. 16. num. 389.

Dicit quatenus causa fuit, quia, inquit, ut sit causa talis effectus absolute optare non licet propter propositionem 14. ab Innocentio XI. eliminatam) exemplificat Less. num. 105. (non 140. cum hic numerus nec detur apud Lessium lib. 4. c. 3.) sicut, inquit gaudemus non solum de tranquillitate publica, sed etiam de morte illius, qui eam turbabat, & defacto illius, qui eam intulit, si innocenter fecit, etsi tota ratio gaudendi sit publicum bonum.

Lugo admittit quidem fas esse de mendacio inadvertenter prolato gaudere, quia sic prolatum non habet intrinsecam odibilitatem, sicut scienter prolatum; uti etiam de pollutione in somno habita, imò & de illa procurata absque culpa propter ignorantiam invincibilem. Verum ut colligitur ex contextu plus non concedit, quam quod gaudium careat culpam de materialiter malis reduplicative acceptis, quod libenter admitto per num. 838.

Vasquez videtur plus favere, dum num. 7. tradit quod affectus simplicis complacentiæ, & desiderij de eadem prohibita materialiter considerata possit esse bonus, & malus ex diverso motivo & Disp. III. num. 8. & 10. licet neget posse quem efficaciter velle, ut pollutio, vel homicidium fiat in somno, de illis tamen factis licet delectari propter bonum finem, ut de pollutione ob vitandam tentationis molestiam, de homicidio proximi, quia hic non versabitur in periculo vitæ spiritualis, de furto, quia jam ablata sit ei occasio avaritiæ &c. sola igitur

tur mutatione voluntatis efficacis in simplicem, ac inefficacem affectum, id quod erat mortale non solum non est mortale, sed aliquando etiam opus virtutis; Postea *num. 11*. Confirmat à contrario ex affectu simplicis displicentiæ, & efficaci voluntate sic peccatis, cui displicet auditio missæ displicentiâ efficaci, seu causante missæ omissionem, e contra non è simplex displicentia mortalis de auditio-
ne missæ, quia auditio est laboriosa, dummodo audiat missam. Ita ille.

Affertio Lessij, Vasquezij, & Sporer quatenus concedit etiam gaudium de re materialiter mala prout causa est effectus boni esse licitum, aut saltem non ef-

fe mortale patitur non levem difficultatem, nam reduplicativa prout, aut *quatenus opus materialiter malum est causa boni effectus*, vel appellat etiam supra opus materialiter sumptum, ita ut hoc sit objectum materiale, formale vero adæquatum sit effectus bonus, vel vero *ly prout* appellat solum effectum bonum, ita ut hic solus sit tam objectum formale, quàm materiale: hoc secundum est licitum, siquidem gaudium, aut desiderium simplex præcisè pro objecto habet merum bonum: si dicatur primum, id universum sustineri non posse constat ex §, sequente. Sit ergo.



§. XII.

An sit licitum gaudium de malo alicujus aut id desiderare sub rationi boni, aut tristitia de bono proximi ob aliquod commodum temporale.

841. **A**ffirmativa responsio fuit plurimum Authorum, uti colligitur ex tribus sequentibus propositionibus prescriptis ab Innocent. XI. nempe ex 13. ita Sonante, *si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alterius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci appetitu appetere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod emolumentum temporale.*

Attribuitur Pal. p. 1. tr. 6. D. 4. p. 1. *num. 11.* cui subscribit Diana p. 3. tr. 6. *Resol. 84. & p. 5. tr. 13. Resol. 99. vers. non desinam,* & ex 14. quæ sic habet: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obvencura est pinguis hereditas. Et ex 15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis*

de se in ebrietate perpetrato propter ingen-
tes divitias inde ex hereditate conse-
cutas.

842. Pro Quæstionis intricatæ eno-
datione supponendum est quosdam AA.
falsò putasse damnatas propositiones in-
ferri ex S. Th. ideo omnium primo pro-
ponenda est doctrina S. Thomæ varijs in
locis expressa. Primò 2. 2. q. 76. Art. 1.
Si autem aliquis imperet, vel optet
malum alterius sub ratione boni, sic est
licitum, nec erit maledictio per se lo-
quendo, sed per accidens: quia princi-
palis intentio dicentis non fertur ad ma-
lum, sed ad bonum: contingit autem
malum aliquod dici imperando, vel op-
tando sub ratione duplicis boni. Quan-
doquidem quidem sub ratione justitiae: &
sic Judex licitè maledicit illum, cui
precipit justam pœnam inferri. Et sic
etiam Ecclesia maledicit anathemati-
zando: sicut & Propheta in scripturis
quandoque imprecantur mala peccatori-
bus quasi conformantes voluntatem suam
divinæ Justitiæ, licet hæc imprecatio-
nes possint etiam per modum prænutia-
tionis intelligi. Quandoque vero dicitur
aliquod malum sub ratione utilis,
puta cum aliquis optat aliquem peccato-
rem pati aliquam ægriitudinem, aut
aliquod impedimentum vel ut ipse me-
lior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum
nocumento cesset.

Secundò in 3. dist. 30. q. 1. Art. 1. ad

4. quia Charitas ordinem habet, & plus
debet diligere quisque se, quam alium,
& propinquos, quam extraneos, &
amicos, quàm inimicos, & bonum
commune multorum, quam bonum pri-
vatum unius; potest aliquis salvâ Cha-
ritate optare malum temporale alicui,
& gaudere, si contingat, non in quan-
tum est malum illius, sed in quantum
est impedimentum malorum alterius,
quem plus tenemur diligere, vel com-
munitatis, aut Ecclesiæ. Similiter de
malo etiam ejus, qui in malum tempo-
rale incidit, secundum quod per malum
pœnæ impeditur frequenter malum cul-
pæ ejus. Præmittit autem ibidem, quod
Charitas attendat ad bona gratiæ per se, ad
bona autem temporalia per accidens, in
quantum hæc ad illa ordinantur: bona
temporalia in diversis possunt se invicem
impedire, quia prosperitas unius inducit
adversitatem alterius, unde quia Charitas
ordinem habet, ex ordine hoc dedu-
cit S. Th. an & quando prosperitas unius
præferenda est adversitati alterius, aut
econtra.

Post allatum textum de ordine Cha-
ritatis de bonis gratiæ sic pergit: Sed bo-
na gratiæ mutuo se non impediunt, quia
spiritualia bona à pluribus integrè posside-
ri possunt. Et ideo quantum ad hoc nul-
lus salvâ Charitate potest malum alteri
optare, vel de malo gaudere, nisi in
quantum in malo culpæ, vel damnatio-
nis alicujus relucet bonum divinæ justiti-
æ.

zie, quod plus tenetur diligere, quam aliquem hominem. Sed hoc non est per se de malo gaudere sed de bono, quod adjunctum est ei malo.

843. Ordo, quem Charitas in diligendis proximis servare debet fundatur in ista regula, quod quisquis suum proximū præ alio debeat diligere, qui ipsi, nempe diligenti, & DEO est conjunctior, ita omnes cum S. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *a.* 6. ubi contra aliquos probat, quod hæc inæqualitas amoris esse debeat non solum quoad effectum, sed etiam in affectu, seu animo.

Hinc Angelicus in hac quæstione descendit ad particulares proximos, ostenditque ex allata regula quis præferendus sit alteri juxta rectam rationem: unde quia hæc dicitur ut quisquis se in dilectione sui præferat alteri, & propinquis extraneis, sequitur rectè poni ab angelico cit. *a.* 1. *ad* 4. ordinem, quo proximus sit amandus.

Ex hoc sequitur altera regula de ordine servando inter ipsa objecta: quo enim objectum unum est altero dignius, eo magis meretur amari præ altero. Hinc vita proximi præfertur emolumento temporali nostro, ita ut pro ejus conservatione pauperi extremè indigenti etiam de necessarijs statui sit succurrendum juxta receptam sententiam, hunc ordinem prævertit appetens mortem proximi, aut de illa gaudens ob suum temporale emolumentum. E contra est conforme Charitati optare mortem ob bonum præstantius quam sit vita e. g. ob DEI gloriam, ob salutem animæ, ob bonum publicum; Charitatis enim ordo

postulat vitam propriam his boni postponi, & bonum Spirituale bono cuius temporali, hinc, ut infans in vitæ periculo constitutus baptizetur, teneor cum vitæ periculo conferre B. p. ipsum.

Nec unquam D. Th. locis numero priore allegatis oppositum sentit, cum nunquam asseruerit grave malum proximo posse optari sub ratione boni exigui; Ratio est, quia ut liceat optare malum sub ratione boni, debet affectus talis esse conformis legi Charitatis, nequit autem esse conformis nisi bonum illud intentum præponderet malo illius, cui id desideratur. Unde S. Th. in *Disp.* 4. *de* *Charitate* *a.* 8. *ad* 10. tres solas causas proponit apud Didacum Hurtad. in *Reformata Theolog. Dissert.* 8. *n.* 8. ob quas *possimus illis, quas ex Charitate diligimus, velle, aut inferre aliquod malum, Primo quidem propter eorum correctionem. Secundo, in quantum aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicujus multitudinis, vel etiam totius Ecclesie. Tertio, ad servandum ordinem divine justitie.*

Pariter ut malum proximi queat considerari sub ratione boni utilis, hoc debet esse medium consequendi aliud majus bonum eidem ipsi, cum malum desideratur, e. g. ut si peccator est, se emendet aut ut inde alia lucra Spirituality eveniant, aut ut impediatur nocumenta aliorum, quos plus debemus diligere, ita cit. Hurtad.

Similiter in textu altero ad 4. gaudia, & desideria regulat juxta ordinem Charitatis præsentis gradus Charitatis per-

personarum, & bonorum, quæ dum se mutuo impediunt, debemus antepone.

844. Nulla ex damnatis potest deduci ex Doctrina S. Th. si petas quid in ijs à Pontifice damnatur. Resp. 1. Dam-nari quod doceant licitum esse directum, ac immediatam desiderium mortis proximi, aut gaudium de illa, aut tristitiam de vita ob commoda temporalia, invertunt enim debitum ordinem Charitatis; & insuper secunda, ac tertia continet doctrinam non solum contra Charitatem, sed etiam contra pietatem obligantem ad parentes præ cæteris esse diligendos.

Et cum S. Thomas loco secundo allegatus utatur particula reduplicativa in quantum, sciendum, quod etsi in reduplicativis interveniat materiale, & formale, attamen reduplicatio non fit supra materiale, sed formale, unde, dum pronunciat, quod licitum sit desiderium inefficax mali temporalis, & gaudium de eodem, si alteri contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, desiderium, & gaudium solum fertur immediatè ad formale, nimirum ad bonum alterius; sicut appetens dulce, ut dulce, non est appetit materiale, sive subjectum dulcedinis, sed ipsam dulcedinem ita Cardenas Diff. 10. num. 16. unde admittit num. 26. hanc propositionem: *Filius licitè gaudet de morte patris quatenus est commoda sibi*, sic enim gaudium non cadit supra materiale nempe mortem, sed supra solum commoditatem inde resultantem: æquivalet enim huic propositioni: *Filius præsuppositâ morte patris, gaudet*

de commodo suo. E contra in damnatis desiderium, & gaudium immediatè fertur in mortem proximi, & tristitia in vitam, non autem sistit in proprio commo consecuto ex morte.

Si AA. propositionis 13. illam Conditionalem, *si cum debita moderatione facias*, exposuissent, quanta debeat esse moderatio, videlicet ne gaudium immediatè sit de ipsa morte sed de utilitate sola ex morte reportata, ejusmodi gaudium aut desiderium mortis non foret damnabile, cit. Hurtad. num. 20. Dominicus Viva ad hanc propositionem num. 4.

845. Dices si licitum est gaudium de commo v. g. de divitijs acquisitis ex delicto v. g. parricidio commisso in ebrietate, uti fatentur omnes, etiam licebit gaudere de ipso delicto puta parricidio, ut fuit causa divitiarum, perinde enim est gaudere de divitijs acquisitis ex parricidio, ac gaudere de ipso parricidio, ut fuit causa illarum, ita Vasq. 1. 2. D. 111. num. 8. & 10. Pal. p. 1. traç. 2. D. 2. p. 10. §. 2. num. 10. dicens licitum esse gaudere de pollutione ob effectum inde secutum: & num. 11. concedit de fornicatione, homicidio, & alijs peccatis fas esse delectari, quatenus fuerit causa alicujus boni; id ipsum tradit Less. lib. 4. de Just. cap. 3. num. 105. scilicet fas esse gaudere *de ipsamet etiam causa* propter effectum bonum, uti retuli n. 840.

Respond. Negando assumptum cum probatione, effectus enim ex mala causa secutus e. g. Filius habet bonitatem absolutâ distinctam à sua causa, idcirco potest amari, & Pater de eo gaudere, quin amor, & gaudium terminetur ad causam ejus, sic


David

David gavisus est de Filio suscepto ex adulterio, quin gavisus fuerit de adulterio, Joseph est gavisus de principatu Ægypti, sine gaudio de sui venditione.

Quapropter separant communiter AA. gaudium de bono effectu à gaudio terminato ad ejus causam: ajuntque primum esse licitum, secus secundum, ita cit. Hurtad. à *nu.* 49. concedens *n.* 51. quod supposito adulterio, aut parricidio sit licita lætitia de bonis inde resultantibus,

sicut est Sanctum gaudium de Christi adventu supposito Adæ peccato, quod non placet, sed omnes detestamur. Merito igitur sub fin. *num.* 841. dixi esse non levem difficultatem an gaudium ordinatum ad bonum effectum ex causa mala convertatur quoad licitatem cum gaudio terminato ad causam malam sive ad peccatum *ut causa fuit boni effectus.*

* *
*



§. XIII.

Plura quæsitæ de damnatis 13. 14. & 15. propositionibus expediuntur.

846. **Q**UÆR. I. An careat culpa desiderium, quo quis desideret alteri malum aliquod temporale v.g. agritudinem, aut etiam mortem ob bonum ingens Spirituale v.g. ut se emendet, vel ne vivat cum periculo damnationis, vel ne saltem peccata continet, evadatque graviolem damnationem. Respondent communiter affirmativè Doctores cum S. Thoma *num.* 842. citato, quia tunc principalis optantis intentio fertur non ad malum peccatoris, sed potius ad ejus bonum, minus enim malum comparatione majoris vitandæ habet rationem boni.

Limita, ut procedat Responso, quando prudenter judicatur medijs minoribus hominem, cui optatur malum, emendari non posse, secus foret pecca-

tum, medicus enim peccat jubens pedem abscindi agro, si remedio leniore curare potest. Ut ergo optans citrà metum culpa procedat, adjiciat Conditionem exceptivam: *Nisi aliâ commodiore viâ bono Spirituali proximi Deo providere placeat.*

Colligitur I. Juste desiderari mortem Christianitatis hostibus, ut Turcis, & Ecclesiæ Romanæ persecutoribus ut hæreticis ex fine nè Christiani, res Catholica, cultusque divinus opprimatur, ac habeat tranquillitatem Reipublica Christiana, & Catholica: Undè ipsa Ecclesia orat in una Collecta *ut gentes paganorum, & hæreticorum dextera ipsius potentia conterantur*: expressit id ipsum S. Th. in suo textu allegato *num.*

842. dicens licitè optari alicui agritudinem, aut aliud impedimentum, ut cesset nocere alijs.

Corollarium procedit de desiderio absoluto, quando ejusmodi injusti vexatores non sperantur cessaturi, aliàs non, quia nunquam est licitum transilire terminos necessitatis majus petendo malum hosti, quam sit necessarium, Soarez *D. 5. de Charit. S. 5. num. 2.* ex Testimonio D. Greg. *Lib. 22. Mor. c. 11.* doctrinam datam complectentis: *Evenire inquit, plerumque solet, ut non amisã Charitate, & inimici nos ruina latifecer, & rursus ejus gloria sine invidia culpa contristet: cum & ruente eo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo, plerosque opprimi formidamus. Quam in re mentem nostram, neque ejus jam defectus erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra cogitatio, non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur.*

Amplia ut sit corollario locus, etsi cum morte temporali prævideantur æternum damnandi, desiderium enim eorum mortis, & gaudium de illa, fertur in malum mortis propter motivum multum præponderans, quale pax Christianitatis: cessatio ab injusta tot mortalium oppressione, Fidei Catholicæ conservatio, ac propagatio. Quod sint damnandi sibi impotent, damnatio enim ipsorum non desideratur, nec gaudium est de illa, etsi DEUS juste eos sit damnaturus, voluntas enim nostra, ut sit recta, non est

R. P. Karch, Diff.

necesse, ut sit conformis divinæ in re voluta sed in ratione volendi per *num. 672.* & *seq.* solúmque debemus velle amare justitiam, non damnationem hostium.

847. Colligitur 2. ob bonum spirituale optantis, aut aliorum citra peccatum potest optari mors illi, à cujus sollicitationibus puella optans se aliter liberare non potest, aliòsque suo pravo Exemplo, ac medijs perniciosis ad lapsus provocat, dummodo ut dictum *num. 846.* fiat cum exceptione conditionali illic apposita ita S. Th. relatus *num. 842.* Ibi: *potest aliquis salvà Charitate.*

Colligitur 3. Carere culpâ sequentia tria desideria juxta Cardenas à *num. 7.* *Dissert. 10.* Primò mortis alterius propter bonum spirituale illius, aut alterius sic potest Pater inefficaciter cupere mortem filij dantis signa futuræ perversionis, aut credit in plura enormia lapsurum. Secundò mortis alicujus propter ingens bonum etiam temporale communitatis, vel Ecclesiæ ita cit. S. Th. Tertiò, mortis ejus propter vitandum nocumentum magnum, quod ex vita illius impendit consanguineo, aut amico tuo, aut tibi, S. Th. loco cit. Unde Socer licite desiderat inefficaciter mortem generi filiam ejus pessimè affligentis sine spe emendationis. Adde his desiderijs sæpiùs nominatam exceptionem.

Colligitur 4. Uxorem licitè optare mortem mariti scelerati, & quisque peccatori inhabituato, ut nisi DEUS aliter provideat finem imponat sceleribus, ac ritè dispositus moriatur.

848. Colligitur 5. Catholicos Principis juste bellantis licitè optare, & orare pro

Kkkk

pro Victoria Principis Catholici contra Adversarios etiam Catholicos, ac de ea gaudere non quidem quatenus Victoria est Clades Principis Catholici (id enim est contra Charitatem jubentem nos esse animo paratos ad orandum in particulari pro inimicis necessitate id postulante) sed quatenus Victoria est medium necessarium ad Reipublicæ quietem. Hæc doctrina extendenda est etiam respectu infidelium, ita ut nefas sit gaudere de eorum everfione sistendo in hac præcisè, cum non sit objectum honestè appetibile, quale tamen debet esse in precatione. Unde graviter delinquunt parti adversæ mala extrema intra, aut extra prælium voventes, vota enim hujusmodi fiunt ex odio, & vindicta, Gobat *tr. 7. num. 593. in Append. 1. Lit. B. & E. edit. ultima* nempe anni 1681.

Colligitur 6. Damandas esse gravis culpæ eas matres, quæ filiabus mortem exoptant, quod ob inopiam, aut deformitatem non possint eas dare nuptui, aut quod illarum occasione male tractentur à maritis. Est contra Bonacina *to. 2. D. 3. de 1. prac. Desat. q. 4. p. ult. §. 1. n. 7.* Ratio est clara, quod sit contra Charitatem optare majus proximi malum ad vitandum aliud longè minus, siquidem malum mortis est longè gravius, quam sit inopia & paupertas; accedit quod vita filiarum non sit causa per se sævitæ mariti in uxorem.

849. Qu. 2. An sit peccatum mortale tristitia de vita alicujus, aut simplex, seu inefficax desiderium mortis naturalis, aut de hac gaudium, si nullus ex his affectibus sit ex odio, seu displicentia per-

sonæ, sed præcisè ex amore alicujus emolumenti temporalis. Negativa nunc est certa ex Proposit. 13. Innocent. XI. recitata *num. 841.* quam justificare non potest adjecta conditionalis; *si cum debita moderatione facias*; peto enim quænam sit illa specialis moderatio, quæ non servatâ affectus præfati sunt mortales, servatâ verò veniales; si respondeas esse debere tantam, ut gaudium non cadat immediatè supra mortem nobis utilem, sed supra ipsam utilitatem inde acquisitam: repono hoc gaudium fore licitum, cum gaudere de emolumentis proprijs, quæ ex suppositione mortis alienæ, quis consequitur, nullum esse peccatum concessi *num. 844.* Verum Propositio 13. prout jacet, indicat, quod affectus dicti sumantur de ipsa naturali morte.

Plures Doctores apud, & cum Math. Moya *in Select. tr. 6. D. 6. q. 5. §. 2. num. 8.* rejecta conditione, *si cum debita moderatione facias*, absolute tuentur, quod desiderium inefficax mortis non ex odio, seu non ideo quia ipse malum est, sed ob hæreditatem non sint peccatum mortale, tum quia hi affectus sunt merè speculativi, cum nihil noceant, nec nocere tentant, unde est disparitas de effectibus efficacibus, hi enim tendunt ad executionem mortis, & media ad eam disponunt: tum etiam quod istorum actuum inefficacium objectum non sit mors violenta, aut inferenda illicitè ab eo, qui hos effectus exercet, aut ab alijs, sed mors naturalis sancte, ac justè à Deo disponenda per causas congruentes, sic autem hi actus non possunt contrahere gravem malitiam ab ipsa morte naturali
seu

seu DEO sic disponente, eveniente: non etiam ab ipso motivo, cum hoc sit emolumentum naturale e. g. hereditas, aut aliud simile commodum, siquidem tale possumus sine mortali peccato nobis optare.

Resp. damnari propositionem à Pontifice cum adjecta conditione, *si cum debita moderatione facias*, ergò à fortiori damnatur, si debita moderatio tollatur, ratio data est *num.* 843.

Peccant igitur graviter Lethaliter primo immediati Successores alicujus boni e. g. fideicommissi cupientes mori antecessorem.

Secundò Successor mediatus nempe is, quia integræ familiæ emortuæ substitutus est, optatque mortem eorum omnium, quibus postpositus est.

850. Ad ea, quæ moventur in contrarium, primum est, quod affectus inefficaces desiderij, gaudij, tristitiæ sint speculativi, nullique noxij. Resp. multipliciter hanc objectionem enervari:

Primò, quia ea, si valet, probat invidiam non esse peccatum mortale, nam est effectus inefficax nihil nocens proximo, nec procedit ex odio in personam, nec tristatur de bono alterius, quia bonum ejus est, sed ex inordinatò amore suæ propriæ Excellentiae, negari autem non potest, quod invidia sit peccatum ex genere suo mortale, ita potiores Theologi contra Lorca, aliàs Apostolus *ad Rom. 1. vers. 29.* invidos non poneret inter eos, quos DEUS tradidit in reprobum sensum, & *ad Galat. 5. v. 20.* inter varia scelera, quorum Authores Regnum DEI non consequentur, numeratur invidia.

Rejicitur 2. quod Adversarij communiter fateantur præfatos affectus esse saltem leviter malos, quia si ob suam inefficiam non sunt mortales, ob eandem nec erunt veniales, cum nec leviter noceant.

Rejicitur 3. quod sæpè tales affectus præbeant occasionem captandæ mortis alienæ.

Ad alterum *num.* 849. ab adversâ parte motum, nimirum, quod memoratorum affectuum objectum non sit mors violenta, aut exercenda illicitè ab optante, aut ab alijs sed mors naturalis sancte obcunda ex divina dispositione per causas congruas. Resp. 1. In sententia, quod omnis actus malitia desumatur ex objecto, etiam mors naturalis respectu desiderij eam optantis, aut gaudij de ea gaudentis esse pravum objectum, nisi fiat ex motivo alio præponderante, atqui hereditas obventura non est motivum præponderans.

851. In opinione verò sequacium Vasq. contententium, quod affectus inefficaces malitiam non detumant ab objecto, sed immediatè ex oppositione cum bono alicujus virtutis etiam sustineri non potest, quia etiam habent oppositionem cum Charitate, & amicitia proximi: quia si resciret is, cujus mors desideratur &c. ejusmodi affectus, etsi inefficaces foveat in corde illorum, quos credebat amicos, rationabiliter gravem posset concipere indignationem.

Instas cum Pasquat. apud Dominic. Viva ad propositiones supra productas *num.* 6. desiderium inefficax mortis alterius propter proprium commodum non est absolutum, sed quasi conditionatum habens.

K k k K 2

habens se perinde ac si sic desiderans diceret, si DEUS ita disponderet, quod ille moriatur, gauderem de proprio commo- do, tale autem desiderium non apparet esse illicitum, quia fertur in objectum per oppositam conditionem depuratum à malitia. Resp. probari quidem esse licitum ex parte objecti, si sit conditionatum *per num. 557.* sæpè tamen, & regulariter similes affectus conditionales esse malos ex parte actus propter oppositionem cum aliqua virtute ut fusè discussi *num. 558.* de hoc genere actuum est istud desiderium conditionatum de morte alterius, quia regulariter profluit ex affectu subjective absoluto inefficaci, quo ex amore hereditatis sibi complacet in morte proximi. Nec satisfacit quod sic conditionatè desiderans intendat se conformare voluntati divinæ, quæ supponitur mortem velle per causas congruentes, quia jam *n. 672. & 846.* dictum est quod voluntas nostra cum divina, ut concordet, non teneatur se conformare cum illa in re volita, sed in ratione volendi. Hinc nova desumitur ratio, quod desiderium præfatum sit profusè difforme divinæ voluntati hæc enim pro formali motivo habet fines altissimos, desiderium verò istud habet pro motivo hereditatem, qui finis est fordidus, Viva ad propositiones 13. 14. & 15. *num. 15.*

Ex his magis elucescit turpitudine propositionis 15. & quam scandalosa sit, si enim gaudium de naturali morte proximi est mortale, quantò magis id verum est de gaudio habente pro objecto mortem Patris, & quidem violentam, atque à se patratam (vide *num. 837. & seq.*) vinculum enim Charitatis in prolibus er-

ga genitores longè strictius obligat, quam erga alios, quocirca Didacus, Hurtadus *Dissertat. 9. num. 36.* tradit ex Julio Clero, Bonacina, Dian. *p. 5. tr. 4. Resolut. 25. fin.* quod licet aliquando ob bonum publicum banniti, si possint licitè occidi à privatis, si id permittat Magistratus, hæc tamen executio non est licita prolibus.

852. Qu. 3. An, & quando possit quis desiderare licitè mortem suam ex fine vitandi miseras vitæ præsentis: hic finis est temporalis nam ob finem spirituales posse honeste appeti constat exemplo Apost. ad Philipp. 1. 21. reputantis mori lucrum, & desiderabat dissolvi, & esse cum Christo: & plurimorum Sanctorum optantium sanguinem fundere pro Christo, quia melius est ita mori, quam sine tali merito vivere: & cum præstet mori, quam peccare, sanctè præoptatur mors, quam vivendo DEUM offendere. Est autem optima adnotatio Soarez *to. 2. de Reliq. lib. 1. de Orat. c. 19. num. 2.* in his affectibus virtute saltem involvi conditionem hanc: *si ita mihi expedit*, etsi de hoc ipse petens non cogitet, quia petens totum negotium committit divinæ dispositioni scienti, quid expediat nobis.

Sermo ergo est, quando finis movens est, quid malum temporale, an liceat desiderare, aut etiam orare, seu petere.

Negat abulensis in 3. Reg. c. 19. q. 6. *vers. sed considerandum.* Rationem dat, quod petitio, aut optatio mortis suæ ad evadendas quascunque miseras humanas vitæ hujus sit electio gravioris mali ad evitandum minus, siquidem mors
juxta

Aristotelem 3. *Eth.* 6. 6. est omnium malorum maximum, & ceteris terribilissimum. Secundò est contra virtutem fortitudinis; cuius est se morti exponere propter honestum bonum. Econtra est vitium timiditatis mori optare, ne terribilia patiamur.

Resp. Affirmativè ex motivo mali magni temporalis declinandi, quale est omne id, quod reddit vitam morte deteriore, ac nimis amaram: e. g. si mors est medium declinandi manus carnificis, quia severiorem mortem exequetur, aut ut quis liberetur à gravi infamia duratura, à carcere retro diuturno, à gravi paupertate, à Continuis doloribus, & morbis. Ratio est, quod vita cum aliquo malo diuturno ex enumeratis prudenter censetur gravior, quam mors brevis iudicio etiam Ecclesiastici *cap. 30. v. 17. Melior est mors, quam vita amare.* Ita talibus circumstantijs non solum licet optatur mors, sed etiam petitur ex August. *Epist. 121. Illud tantum licitum petere orando, quod licet optare,* ita Aragon. *de just. & jure, quest. 83. a. 8. in fin.* Azor *p. 1. Lib. 9. cap. 35. quest. 3.* Moya *in select. 1. p. tract. 6. D. 6. quest. 5. num. 11. & 12.* cum alijs pluribus approbatis à Didaco Hurtado *Dissert. 9. n. 57.*

Nec urget ratio prima, Abulensis, nam plura mala temporalia sunt, quorum acerbitas prudenter censetur mors prolixa, ac gravior.

Non urget etiam secunda, negatur enim esse semper vitium timiditatis odisse vitam, & desiderare mortem praesertim dum vita nostra non est alijs necessaria.

853. Qu. 4. An damnandi sint noxae lethalis, qui optant mori ut non patiantur calamitates, quorum permissio est minoris momenti, malumque minus, quam vitæ conservatio sit bonum e. g. ut evitentur afflictiones breves, nec valde amarae. Esse duntaxat veniale ejusmodi desiderium absolutum; ac nec veniale si sit conditionatum, nempe sub conditione, ac resignatione voluntatis propriae ad divinam opinantur aliqui.

Ratio est, quod mors sit quidem physicè malum naturæ, in genere tamen moris, seu honesti, aut turpis, nec est bona, nec mala, sed indifferens ad utrumque, proinde potest malè, & benè expeti sed hoc ipso, si expeditur ad evitanda mala levioris etiam momenti, quam vita sit bona, non est mortale expetita per media ex se non illicita, quia finis nempe vitatio praefatarum calamitatum non est mala, nec remedium, nempe mors est quid pravam, sed tota maliitia sita est in deordinatione hac, quod bonum aliquod temporale expetamus sine resignatione, perinde hac petitio sit quaedam pusillanimitas animi, quæ deordinatio cessat, si fiat sub conditione resignativa, voluntatis propriae in divinam, ita Tambur. *lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 3. n. 34.* Franc. Arias *de Imitat. Christi tr. 7. cap. 8.*

Respondeo, Probabilius affirmativè cum Granad. *Controv. 3. de Charitate tract. 6. D. 2. nu. 22.* Diana *p. 5. tract. 14. Resol. 92.* Didaco Hurtado *num. 63.* Ratio est, quod bonum vitæ sit longè nobilius, quam leves Calamitates sunt malum, ergo mors etiam est malum longè superius, quàm carentia

Calamitatum levium, sit bonum, sed si mors est malum longe superius quam carentia Calamitatum levium sit bonum, non potest sine noxa Lethali absolute mors expeti ap. evitandas calamitates leves, hinc S. Th. 2. 2. *quæst.* 64. a. 5. probat esse mortale consciscere sibi mortem ad miseras hujus vitæ terminandas, quia est peccatum mortale, eligere majus malum velut medium ad evitandum malum.

Argumentum oppositæ sententiæ non est efficax. Primo, negatur mortem secundum se consideratam esse objectum indifferens, sed turpe utpotè contrarium inclinationi naturali, & propria Charitati, quæ sicut debet servare ordinem inter personas, ita inter objecta. Est ergo semper mors moraliter mala si sumatur ut objectum, appetibile contra præfatum ordinem Charitatis.

Rectè tamen pro praxi notat Abulensis superius relatus *quæst.* 36. talia desideria, etsi de se sint lethalia; excusantur tamen à mortali propter vehementem

passionem tempore afflictionis insurgentem, qua plena advertentia præveniri solet, apparetquè calamitas major, quàm re ipsa sit in se. Aliter excusat cit. Hurtadus *num.* 67. quod optantes mortem non respiciant, ut finem calamitatum, ac si instar jumentorum decessuri essent, non memores immortalitatis, sed ut transitum ad vitam beatam quam aslueverunt à DEO orare.

Confirmatur Resolutio data, si quis intenter tibi mortem, nisi levem molestiam sustineas, hoc casu, vel est mortale se sinere occidi potius quàm pati levem molestiam, vel non est mortale; hoc secundum dicere, est inauditum, & absurdum ex ipsis terminis, si est mortale, etiam est mortale si optes tibi mortem, ne patiaris levem molestiam.

Inde rectè peccati mortalis Dian. cit. damnat mulierculas, quæ ob res minimas optant sibi mortem, eadem advertentia excusat.



§. XIV.

An, & quanta sit culpa jaçantia, gloriatio, Laus de rebus malis, donis naturalibus & virtutibus veris, vel fictis.

354. **D**E jaçantia Disputat S. Th. 2. 2. *quæst.* 112. Th. Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 3. Pal. p. 1. *tract.* 2. D. 2. p. 11.

Est autem jaçantia nihil aliud, quàm quædam tui supra id, quod in se est elevatio, & sic secundum speciem actus opponitur veritati per modum excessus ut dicit

dicit S. Th. a. 1. in Corp. & ad 2. At secundum causam, à qua non quidem semper, frequenter tamen oritur, est species superbiæ, arrogant enim se supra se ipsum elevat, & idèò communiter exterius majora quædam de se jactat; hoc modo opponitur humilitati, aliquando tamen fit hæc ostentatio non ex arrogantia, sed ut, inquit, D. Th. ex quadam vanitate ad jactantiam procedit, id est, pro fine habet inanem gloriam, tendit enim jactator plerùmque ad hoc, quod gloriam consequatur per suam jactantiam, quo casu est effectus vanæ gloriæ velut causa finalis.

Cum autem Gloria quæri possit tam ex bono, quàm ex malo hinc jactantia datur de utroque.

Quapropter S. Th. a. 2. quærens utrum jactantia sit peccatum mortale, concludit quod jactator quidpiam de se proferens contra gloriam DEI, & ad proximi contemptum, vel contumeliam peccatum sit mortale, aliàs autem veniale, vel mortale pro gravitate, aut levitate: dupliciter enim considerari potest, ut jam est insinuatum: Primò, secundum se, seu propriam speciem, & sic est quoddam mendacium oppositum veritati, hoc modo est aliquando mortale, aliquando veniale: mortale quidem quando quis jactanter de se profert, quod est contra gloriam DEI, aut contra Charitatem proximi, ut si quis jactans se ipsum prorumpit in contumelias aliorum cum Pharisæo Lucæ 18. *Non sum sicut Cateri hominum raptoret &c. velut etiam hic Publicanus*, si autem jactantia, nec sit contra DEUM, nec contra proximum, est veniale.

Secundò, secundum suam Causam, quæ est, vel superbia, vel inanis gloria, vel appetitus Lucri: si oritur ex superbia aut inani gloria, quando hæc est mortalis, etiam jactantia est mortalis, aliàs erit venialis. Si oritur ex cupiditate Lucri, tunc ordinatur ad deceptionem, & damnum proximi ut si quis se jactat peritum Medicum, Advocatum, Pharmacopæum, est mendacium perniciosum atque adeo mortale obligans ad restitutionem damno notabili secuto prout fatentur omnes apud Sanch. *lib. 1. Decal. cap. 3. num. 2.* Ex his.

855. Regula Universalis eruitur, quod omnis jactantia de peccato proprio, sive vero, sive falso, & exprobratio alterius, quod non commiserint aut laudas eum de commisso sit peccatum mortale aut veniale, mortale si te jactas de mortali, aut alteri exprobras id ab eo omisum, aliàs est veniale. Ratio est quod pro gravitate, aut levitate offensæ DEI sit gravis, aut levis irreverentia captare laudem humanam, & honorem ex offensæ DEI, laudans autem peccatum alterius, aut exprobrans non factum excitat illum ad gaudium de illo, vel ad pœnitendum de non commisso, simulque excitat ad id committendum, quo casu est obligatio in Confessione explicandi speciem peccati, de quo laudasti, aut quod exprobrasti non commissum, quemadmodum etiam dum jactas proprium peccatum cum gaudio, sive complacentia de eodem, hujusmodi enim gaudium, laus, & exprobratio est specie diversa pro diversitate peccatorum, quæ jactantur, laudantur, exprobrantur per *num. 616.*

An autem seclusi ista complacencia iactantia de proprijs peccatis specie si diversa pro specifica eorum diversitate, est bipartita sententia: negativam prætuli *num. 616.* Contra Sanch. *num. 13.* unde iuxta negativam sufficit dicere me toties iactavi de culpa mortali, Pal. *n. 5.* (nisi gaudium sit annexum iactantia, tunc enim fatemur cum Pal. esse declarandam speciem) rectè negans adversarijs, quod quævis virtus prohibeat iactantiam de peccato sibi contrario, sicut prohibet delectationem, gaudium, desiderium, nam per *num. 854.* iactantia est filia superbia, seu inanis gloria, proinde verita est à virtute humilitatis, ita S. Th. *q. 132. a. 4.* iactantiam reponens inter fines inanis gloria, hancque oriri à superbia, eamque esse unum ex septem Capitalibus vitijs propter plura vitia ex inani gloria derivabilia superbiam verò ait non esse capitale vitium, sed Reginam omnium vitiorum etiam Capitalium, cum enim sit inordinatus excellendi appetitus, ut ex omni bono appetibili aliqua Excellentia consequitur, ideo fines omnium vitiorum ordinantur ad finem intentum superbia, ita cit. Th.

856. Qu. 1. An si quis te laudet de peccato, & tu præ verecundia taceas, pecces? secundò, an appetitio laudis de tuis bonis operibus sit licita? Tertio, an fingens opera virtutis propter captandam gloriam peccat mortaliter: Quarto, an, & qualis culpa sit iactare dotes suas naturales.

Ad 1. Respondet Sanch, *num. 10.* si laudes acceptet peccare pro gravitate materia, quia consentit laudanti: at si displiceant laudes, præ verecundia autem

taceat, non peccare, nisi laudatus sit talis, qui tacendo adstantes scandalizaret.

E contra Pal. *num. 3.* ut excusetur à peccato, exigit, ut exterius prodatur displicentiam, aliàs præsumitur ab adstantibus acceptare, hujus mentem præfero.

857. Ad secundum Respond. Cum distinctione, vel appetitio intendit captare solum laudem humanam, vel intendit laudem, seu estimationem suorum operum non propter se, sed ut, vel sic Deo magis servias, aut sis causa alijs Deo interveniendi, hoc secundo modo non est peccatum: sed conforme Christi doctrinae Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum:* Primo modo est peccatum quia est quædam inordinatio virtutum, quæ est excellentior, assumere ut medium, ac dirigere ad captationem honoris humani longè inferioris, de tali appetitione honoris videtur Christus loqui Matth. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis,* sic enim facientes recepisse mercedem suam, Christus subiunxit, id est, illis est jam satisfactum per laudem quæsitam, cum coram DEO nihil sint meriti, ita Pal. *n. 9. & 10.* excusans hanc culpam à mortali etsi quærat laus ex administratione, aut receptione rerum sacrarum e.g. Sacramentorum, quia hæc inordinatio non videtur gravis, etsi principaliter res sacræ efficiantur ob vanam gloriam, ita Sanch. *num. 1.* allegans pro se D. Th. *quest. 132. a. 3.* ubi tradit tunc esse lethale opera bona dirigere ad inanem glo-

gloriam; quando in hac constituitur finis ultimus omittendo ob eam præcepta DEL.

858. Ad 3. Resp. Per se non excedere veniale, ex adjunctis tamen evadere mortale, ut si proximo graviter noceat, aut imminet periculum graviter nocendi, (vide num. 854. de imperito Medico, Advocato &c. si enim non prædicant, non nocent) aut sit finis intentus alius depravatus, Pal. num. 10. ex Less. lib. 2. cap. 47. dub. 6. num. 45. Unde hypocrisis, seu virtutum fictio, ut quis habeatur pro bono seclusis præfatis alijs finibus non est mortalis.

Ad 4. Resp. Vel appetitur honor commensuratus donis naturalibus ex fine

conciliandi sibi affectum, ac æstimationem, quæ sit occasio promovendi obsequium DEL; & sic caret omni peccato, vel appetitur honor indebitus nempe major, quam debeatur, est inordinatio spectans ad superbiam, & inanem gloriam, quia tamen honor non est objectum de se malum, non excedit levitatem, nisi inde imminet. Tertio damnum, uti imminet in eo, qui se fingit peritum Medicum, Doctorem, Confessarium &c. tunc enim peccat etiam graviter contra

Justitiam cum onere reparandi damnum.

* *
*



ARTICVLVS. VIII.

De Specifica peccatorum Commissionis Distinctione.

859. **D**ixi Commissionis, quia peccata Omissionis, quibus violantur præcepta positiva, cum formaliter constituantur per privationem actus debiti, seu Præcepti, specificantur ab ipsis actibus omissis præcepti: proinde illa peccata omissionis inter se specie differunt, quæ privant actibus virtutis specie diversis, sic omisso Missæ specie differt ab omissione jejuniij, quia auditio Missæ, & observantia Jejunij specie differunt. Eæ verò omis-

siones, quæ eidem actui præcepto, contradicunt, sunt unius speciei, numero verò distinctæ, ut plurium Dierum omissiones Horarum Canonicarum.

Notitia tum specificæ, tum Numericæ peccatorum distinctionis est apprime necessaria Confessarijs, ut satisfaciant suo muneri, siquidem pœnitentes vi institutionis divinæ declarata à Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5. tenentur confiteri omnia peccata quoad numerum, & quoad speciem,

R. P. Karch, Diss.

L III

S. I.

§. I.

Referuntur varia sententiae de specifica peccatorum distinctione.

360. **P**rima opinio specificam distinctionem causalem desumit ab objectis formalibus specie diversis, seu quod in idem recidit à virtutibus specie diversis, cum istae inter se specie differant extrinsecè, & causaliter à suis objectis formalibus, hoc est virtutum specifica natura habetur à prædicatis suis intrinsicis per ordinem ad objecta formalia, quatenus hæc fundant malitias ejusdem, aut diversae speciei contra rectum dictamen rationis. Specifica verò formalis unitas, aut distinctio habetur ab unitate, & distinctione specifica rectitudinum, seu virtutum oppositarum, cum autem virtutes speciem suam capiant, ab honestate suorum actuum, fit, ut idem sit peccata specificari à virtutibus specie diversis, ac eadem differre specie formaliter per privationem honestatis oppositae specie diversae, ea verò habere unitatem specificam, quæ privant honestate ejusdem rationis. Ratio hujus formalis unitatis, aut distinctionis specificae est, quod peccata commissionis sita sint juxta hos AA. formaliter in privatione rectitudinis seu honestatis debitae inesse actui oppositae virtutis, ergo ubi est privatio rectitudinis debitae inesse actui ejusdem, aut diversae rationis, ibi est unitas, aut specifica for-

malis distinctio peccatorum, siquidem formaliter peccata constituuntur per dictam privationem, privatio autem specificatur à forma oppositâ, quâ privat ita S. Th. 1. 2. q. 72. Art. 1. in Corp. Scot. in 2. distinct. 37. q. 1. cum Scotistis apud Sporer 1. p. 11. c. 4. à n. 11.

361. Prior pars hujus opinionis de distinctione, & unitate specificâ causali, quam desumit ab objectis formalibus, secus à materialibus, exemplificatur; sic superbia de bonis, sive hæc sint spiritualia, sive temporalia, gula sive sit in cibo, sive in potu, furtum sive sit in auro, sive in alia quavis materia, est ejusdem speciei, etsi objecta materialia specie differant, quia formaliter fundant malitiam ejusdem rationis, nempe inordinatum appetitum excellendi.

Econtrà quævis peccata, quorum formalia objecta sunt diversae rationis, fundant, & causant diversas malitias ut fornicatio, adulterium, incestus, sacrilegium, &c.

Ex parte posteriore suae sententiae deducunt odium DEI, & proximi, blasphemias, furtum, &c. inter se specie formaliter, ac intrinsecè differre, quia intrinsecè pugnant cum virtutibus specie diver-

diversis, Charitate, Religione, Justitia, &c.

Quando peccata contra eandem virtutem specie distincta sunt, horum specifica distinctio non desumitur ab objecto formali, sed ex modo diverso illam laedendi, hæc modi diversitas fundat privationem rectitudinis debitæ inesse actui specie diversam; hoc modo differunt specie odium DEI, & proximi, odium, & omisso amoris præcepti: sic specie diversa peccata sunt peccata irreligiositatis, seu contra Religionem, ut blasphemiam, perjuriam, sacrilegia, violationes votorum, Festorum, superstitiones. Virtuti justitiæ propter modum diversum, quo jus proximi in vita, fama, & bonis fortunæ læditur, plurima peccata contra præceptum 5. 6. 7. & octavum Decalogi habent inter specificam differentiam ut homicidium, furtum, detractio, contumelia, &c.

Demum cum aliquæ virtutes morales sint in mediocritate sitæ, his semper opponitur duplex peccatum specie distinctum; unum per excessum, alterum per defectum, sic liberalitati per excessum contrariatur prodigalitas, per defectum avaritia, seu nimia tenacitas.

Opinio sic explicata est communissima non solum illorum AA. qui formalem malitiam peccatorum commissionis statuunt in privatione rectitudinis debitæ, ut Thomistæ, Scotistæ, Soarez, Granad. Esparza, Maurus, sed etiam multorum identificantium illam positivæ entitati actus contra præceptum negativum.

862. Altera opinio, eaque valde communis specificat peccata à præceptis non materialiter, ac numericè, sed for-

maliter, ac specie invicem distinctis. Nomine præceptorum materialiter diversorum intelliguntur omnia præcepta, quæ ex eodem objecto formali aliquid præcipiunt, vel prohibent simul, aut successivè, sive in eadem, sive in diversa materia, sive Legislatores sint diversæ speciei ut DEUS & homo, sive ejusdem, ut diversi superiores humani. Ea vero præcepta vocantur formaliter diversa inter se comparata, quæ feruntur à Legislatoribus propter motiva formalia specie diversa, seu quorum finis proximus, & intrinsecus est specie diversus, sive deinde ejusmodi præcepta sint ejusdem virtutis, sive diversarum; universum enim præcepta affirmativa, & negativa specie differunt in quacunque virtute, quando unum ex alio non oritur; si unum ex alio oritur, uti omne directè, ac explicitè affirmativum est Secundario, & indirectè negativum, seu prohibens opus cum actu Præcepto impossibile, sic præceptum primariò imperans volitionem audiendi Missam, indirectè prohibet volitionem omissionis Missæ, hujus prohibitionis obligatio est tota ex præcepto affirmativo audiendi Missam utpote indistincto, à negativo incluso, idcirco malitia volitionis omittendi Missam, non habet malitiam specie diversam à malitia omissionis Missæ.

Dixi quorum finis proximus ac intrinsecus specificè differt hic enim non differt ab objecto formali motivo virtutis illius, ad quam spectat præceptum, & ideo dicere præcepta esse formaliter diversa propter formale objectum, est perinde, ac dicere quorum finis intrinsecus differt specificè ab alijs præceptis.

LIII 2

Ubi

Ubi advertendum finem Legis, aut præcepti alium esse intrinsecum & proximum; alium remotum, ac extrinsecum; intrinsecum intendit lex, aut præceptum, & pro hujus specifica diversitate evadunt præcepta formaliter diversa, secus à remoto, & extrinsecò, quem intendit ipse præcipiens: sic finis Ecclesiæ præcipientis Jejunium in Vigilia Sanctorum est horum cultus, seu major dispositio eos colendi per opera bona; item finis jejuniij quadragesimalis extrinsecus est conformatio cum Christi Passione, &c. intrinsecus verò utriusque est motivum formale virtutis abstinentiæ, seu temperantiæ.

Hæc opinio est Vasq. 1.2.D.98.c.2. Sanch. lib. 9. de Matr. D. 15. Laym. lib. 1. tr. 3. c. 2. num. 1.

863. Ex doctrina hac deducunt primò specificam diversitatem præceptorum non esse desumendam penes præcipientes, si enim hi præcipiant, aut prohibeant sub eadem ratione formali, id est, intuitu ejusdem virtutis, præcepta eorum sunt solùm materialiter, secus formaliter diversa, consequenter violatio præceptorum ejusmodi non est specie diversa.

Deducunt secundò. Etsi furtum fit vetitum lege naturali, divinâ, & humanâ tam civili, quam Ecclesiasticâ, attamen manere in eadem specie injustitiæ, quia ab his omnibus est prohibitum sub eodem motivo formali justitiæ. Similiter violatio jejuniij in Vigilia S. Matthiæ coincidentis cum quadragesima est unicum specie peccatum, uti & omissio Missæ die Festo cadente in Dominicam, quia tam Præceptum Dominicâ die quàm Fe-

stivâ Missam audiendi est latum intuitu Religionis.

Item obedientia, quâ obedio homini ut locum tenenti DEI est ejusdem speciei cum obedientia, quâ obedio DEO, quia sic intuitu ejusdem Divinæ Autoritatis præcipit DEUS, & homo: e contra specie differrent, si obedirem homini non ut locum tenenti DEI, quia tunc Autoritas præcipiens movens ad obediendum DEO, & homini specie differunt, sic ut reverentia, DEO debita specie differt à reverentia debita homini propter specificam diversitatem Excellentiam increatæ, & creatæ, cujus intuitu fit reverentia, ita Rhodes.

Deducunt tertio. Furtum rei sacræ duplicem specie malitiam continere, quia est contra duplex formaliter præceptum, unum naturale, quale est septimum Decalogi vetans id ex motivo Justitiæ, alterum Ecclesiasticum ex motivo Religionis latum: sic etiam percussio Clerici est in duplici specie, quarum una est contra præceptum naturale quintum Decalogi, altera contra præceptum Religionis, cujus intuitu Ecclesia prohibet percuti Ecclesiasticos. Adulterium Religiosi est in specie triplici contra triplex formaliter distinctum Præceptum, nempe contra Præceptum Justitiæ, Castitatis & Religionis, quævis enim harum virtutum id prohibet ex suo formali motivo.

Verum quia quædam peccata sunt intrinsecè, seu ex objecto mala, & ideo prohibita, quia mala sunt, alia verò sunt mala purè extrinsecè, seu quia prohibita; hæc secundi generis suam specificationem desumunt à priori à præceptis positivis, cum

cum nihil præcedat aliud prius, à quo specificentur; peccata verò primi generis specificantur à præceptis positivis, solum à posteriori siquidem hæc præcepta sunt posteriora ad deformitatem, quam habent ex se ante omne præceptum formale, cum natura rationali ut tali.

Omitto alias minus principales opiniones ut Pallavicini, species peccatorum diversas desumentis ex oppositione cum dictaminibus conscientiae specie diversis, Granadi recurrentis ad specie diversas deformitates cum recta ratione.

Omnes hæc sententiae possunt deservire pro praxi, at si Theologicè examinentur, vix subsistunt, petitur enim adhuc regula fundamentalis discernendi,

quomodo unum peccatum præ alio maxime contra eandem virtutem diversimode discordet cum rectò dictamine, aut quomodo unum dictamen specie distinguitur ab altero, aut quod perfectio unius virtutis differat specificè ab alia (cum relate ad hanc prima Opinio explicet specificationem, alias obscuram per æque obscurum exponeret) aut quod unum præceptum sit in alia specie, quam alterum, quod enim secunda opinio confugiat ad motiva specie diversa, non satisfacit, cum restet danda ratio, cur unum motivum e. g. Religionis sit specie diversum à motivo v. g.

Justitiæ.

* *
*



§. II.

*Adfertur regula universalis specificæ peccatorum
Distinctionis.*

864. **P**eccata omnia sunt contra virtutes Theologicas, aut Morales. Regula discernendi Specificam contra morales virtutes peccatorum Distinctionem est hæc ex *num.* 595. si inspectis actibus, quorum specifica inesse malitiæ distinctio inquiritur, reperitur in singulis ratio specialis eos prohibendi, etsi per possibile, vel impossibile cæteri actus evaderent liciti, ita Haunold. *lib.* 2. *Theolog. tr.* 2. n. 474.

Ut autem ejusmodi ratio prohibendi, seu speciale peccatum fundans specialem actus prohibitionem deprehendatur, peccata, inter quæ specifica diversitas investigatur, invicem sunt comparanda; in hac comparatione, vel unum respectu alterius apparet ex terminis gravius altero, vel non apparet gravius: si apparet, vide, an si fingatur id, quod constat excedere, seu esse gravius, fore licitum, adhuc in eo, quod constat esse
LIII 3 levi-

levius, reluceat specialis ratio illud prohibendi, nec ne: si non, hoc erit unius speciei cum priore; si ita, erit speciei diversum; sic comparando furtum centum cum furto 50. Florenorum, ex terminis patet furtum centum esse gravius furto 50. & si per possibile, aut impossibile furtum centum foret licitum, nulla superest ratio prohibendi furtum 50. cui enim licet plus etiam licet minus in eodem genere.

E contra adulterium specie differt à fornicatione, quia esto adulterium quò tale non esset illicitum, seu contra Justitiam, fidemque matrimonij, adhuc datur ratio specialis inhibendi copulam inter non conjuges ob prolis incertitudinem.

Quando ex invicem comparatis unius excessus, seu majoritas malitiæ est ex terminis patens, non est necessitas comparandi vicissim peccatum minus grave cum majori, quia ex terminis est manifestum, quod magis gravi semper inest ratio prohibendi, quæ non inest minus gravi.

865. Si inter duo, aut plurà peccata invicem comparata excessus malitiæ non pateat ex terminis, tunc singula eum singulis comparanda sunt comparatione reciproca, sive mutuà e.g. fornicatio, & inebriatio sunt peccata, quorum nullum ex terminis prodit malitiæ excessum supra alterum, differunt ta-

men specie, quia licet esset fas fornicari, adhuc est ratio vetandi inebriationem, & è contra: privatio enim usus rationis, in qua est sita malitia ebrietatis, non continetur in malo fornicationis, sive in malo incertitudinis prolis, malæque hujus educationis, nec vicissim.

Quod si facta aliquorum mutuà comparatione nequeat clarè deprehendi separabilitas rationis prohibendi unum à ratione prohibendi alterum, & vicissim, tunc talium peccatorum specifica differentia erit aut dubia, aut probabilis.

Hæc Regula formaliter non potest applicari peccatis contra virtutes Theologicas ut ostendit Haunoldus, applicatur tamen æquivalenter sub alia hypothese impossibili utili, nempe sub hac, si DEI odium impossibile esset propter impossibilem ejus permissionem, ut si esset impossibilis apprehensio mali, propter quod sit dignus odio, adhuc exstat ratio prohibendi odium proximi ad cavenda specialia mala non contenta in malis illis, ad quæ cavenda prohibitam est odium DEI.

Regula allata melius nequit probari quàm quòd opiniones §. precedente allata, ut subsistant, ultimatim debeant in hanc resolvi. Deindè confirmatur ejus veritas eam applicando diversis materijs peccatorum.

* * *





§. III.

*Regula Haunoldi applicatur consumatis Luxuria
naturalis speciebus.*

§66. **L**uxuria est inordinatus appetitus, & usus inordinatus venereorum. Ejus sex species ennumerat D. Th. 2. 2. *quæst.* 154. a. 1. fornicationem simplicem, adulterium, incestum, stuprum, raptum Vitium contra naturam. Videtur addenda septima species nempe Sacrilegium carnale, Respondet S. Th. *ad* 3. quod vovens Castitatem inerat quoddam matrimonium Spirituale, violans illud committat adulterium quoddam Spirituale, atque adeo reducatur ad speciem adulterij.

Prima species est Fornicatio, simplex: hæc est inordinatus concubitus soluti cum soluta consentiente libera ab omni alio vinculo, aut circumstantia transferente copulam ad aliam speciem luxuriæ. Ejus formalis malitia est sita in hoc, quod per se loquendo proles sic genita exponatur periculo malæ educationis, cura enim materna non sufficit, paternam communiter abest, aut est incerta propter incertam paternitatem, quæ ratio probat etiam inter steriles, ac inter personas sufficienter providentes proli de bona educatione (ut si expensas fornicarij darent viro, aut mulieri probæ) quia quod in primo casu defectu generationis,

in secundo autem ex extraordinaria provisione non sequatur mala educatio, id non oritur ex natura fornicationis (per se enim, & ex natura illius sequitur generatio, & ad hanc mala institutio, jus autem naturæ prohibet omne illud, ex quo per se, & naturaliter sequitur talis inordinatio) sed per accidens impeditur.

Ratio adducta ostendit justè damnatam esse ab Alexandro VII. *proposit.* 25. *qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra Castitatem, non explicando copulam:* & ab Innocent. XI. *proposit.* 48. *tam Clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solùm malam esse, quia interdicta, ut Contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Circa hanc primam speciem observat Cardenas *Crisis Theolog.* D. 53. *num.* 163. quod fornicatio in tota latitudine sumpta sit species subalterna, quia complectitur sub se copulam inceptam non Consummatam, & Consummatam, quas specie distingui colligitur ex propositione Alexandrina proximè proximè producta.

Secun-

Secunda species stuprum tripliciter usurpatur primò late ex communi Canonistarum, & Legistarum usu pro illicito concubitu cum Virgine, aut vidua honestè vivente. §. *item lex 4. Inst.* Secundò propriè pro illicita non violenta Virginis sub cura parentum existentis violatione, ita S. Th. 2. 2. q. 154. *Art. 6.* Tertio pro Virginis oppressæ, seu invitæ ac renitentis defloratione, aut si metu gravi in puellam constantem cadente, aut precibus importunis quando his merus reverentialis, aut minæ conjunctæ sunt, adigatur aut fraudulenter, ac dolosè seducatur, videlicet fictâ permissione matrimonij. Duobus primis modis non differt specie à fornicatione, ut probabilior fert sententia apud, & cum Sanch. *de Matrim. lib. 7. D. 14.* contra communiorem in copula cum Virgine agnoscentem duplicem specie malitiam. Tertio modo stuprum est species distincta à fornicatione simplici, quia huic addit gravem injuriam personalem contra justitiam & ita omnes pro stupro hoc tertio modo obligantes ad omnia damna refarcienda secus pro stupro primo, ac secundo modo in foro conscientia, quia nulla fit injuria sponte consentienti: in foro tamen externo deflorator Virginis etiam volentis cogi potest à Judice ad eam dotandam lege sic statuente ob bonum commune ad impedienda supra puellarum facile inducibilem ut notat Less. *lib. 2. de Just. c. 7. num. 44.* aut saltem ad mulctam parentibus puella solvendam, Sporer *p. 4. Theolog. Sacram. c. 3. num. 588. & 590.*

867. Tertia species est adulterium consistens in inordinato concubitu cum

aliena conjugata, aut conjugato, aut conjugati cum conjugata non sua. Est peccatum gravius duobus prioribus, quia contra justitiam non solum violat fidem conjugalem, sed etiam cedit in damnum prolium legitimarum, habetque alia gravia mala annexa consequentia: estque id verum, quamvis conjux consentiat in fornicationem sui conjugis, seu lenonem agat, ita nunc certa sententia, cum opposita sit damnata ab Innocent. XI. proposit. 50. *copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.* Ratio est, quod conjux nequeat efficaciter cedere huic juri, quo minùs fiat stricta injuria statui conjugali, consequenter illi qua conjux est, sicut consensus Clerici in sui percussione non impedit injuriam, quæ fit statui Clericali, idcirco efficaciter cedere non potest.

Hinc patescit, quod, dum uterque adulter est conjugatus, pluribus titulis crescat gravitas adulterij: adulter enim primo præter luxuriæ malitiam agit contra fidem sui matrimonij, seu graviter est injuriosus suæ uxori. Secundò agit contra justitiam alieni conjugis. Tertio cooperatur adultera peccanti contra fidem proprii matrimonij, atque injurianti proprium maritum. Unde necesse est in confessione adulterij exprimere, utrum uterque sit conjugatus, quia saltem intervenit duplex numero peccatum, de quo infra: imò Lugo *de Penit. D. 16. num. 140. & 258.* non improbabiler tuetur adulterium ex parte unius tantum esse morali specie distinctum ab adulterio ex parte utriusque, verius tamen hoc

com-

communis negat cum Less. lib. 4. de Just. 6. 3. dub. 10.

868. Quarta species est incestus si-
tus in peccato carnali cum persona con-
iuncta conjunctione consanguinitatis,
aut affinitatis legali, aut spirituali. In-
cestus igitur specifica, ac propria mali-
tia est violatio reverentiae naturalis paren-
tibus, horumque consanguineis, & af-
finibus debita: atque adeo se extendit
ad omnes eas personas, quas comprehen-
dit attinentia personarum, inter quas ju-
re naturali, ac divino, aut humano ma-
trimonium nequit subsistere. Incestus
malitia propria opponitur virtuti pietatis
obligantis ad reverentiam exhibendam
debitam parentibus, horumque con-
iunctis conjunctione, vel naturali (quales
sunt consanguinei, & affines) vel legali
id est, à lege inducta intuitu pietatis, aut
spirituali intuitu reverentiae Sacramento-
rum Baptismi, & Confirmationis, qua
reverentia sicut est specie diversa à reve-
rentia, quam inducit virtus pietatis, ita
incestus inter spirituales cognatos est spe-
cie distinctus ab alijs.

Incestus inter consanguineos intra
quartum gradum inclusive contrahitur,
ubi etiam inter affines ex matrimonio ra-
to, ex copula verò illicita non excedit
secundum gradum, inter spiritualiter co-
gnatos illos duntaxat, inter quos spiri-
tualis cognatio est impedimentum diri-
mens. His adde incestum cum sponsa
de futuro consanguinea in primo gradu
ob impedimentum publicae honestatis,
hoc enim, etsi nullam fundet affinita-
tem cum nulla interveniat copula, qua
est unica radix illius, prohibetur tamen ab
R. P. Karch. Diff.

Ecclesia copula cum sponsa consanguinea
in primo gradu propter reverentiam con-
iunctis debitam, proinde intuitu pie-
tatis.

Utrum verò incestus consanguineo-
rum pro graduum diversitate, uti & affi-
nium, horumque incestus ab incestu in-
ter consanguineas, specie differant fusè
est disputatum à num. 599. ad 607.

869. Quinta species est raptus, qui
est violenta personae alicujus abductio ad
explendam libidinem, vel ad matrimo-
nium contrahendum.

Dicitur primò *violenta*, quando
persona abducta est invita, aut hac con-
sentiente inviti sunt illi, sub quorum po-
testate est constituta, ut parentes, mari-
tus, sponsus, curator. Unde non est
raptus, sed fuga, si puella sponte abit cum
amasio inscijs parentibus, &c.

Dicitur secundò *abductio* nempe
de loco ad locum moraliter diversum, un-
de de Cubiculo ad Cubiculum violenta
abductio, esto sit stricta injuria, non ta-
men est propriè raptus.

Dicitur tertio *persona alicujus*,
quia sive ea sit virgo, sive vidua, sive
maritata, sive mas abductus à femina est
propriè raptus quoad culpam.

Dicitur quartò *ad explendam libi-
dinem, vel ad matrimonium contra-
hendum*, quia si fit ex alio fine e.g. ut
sit serva, non est raptus, sed plagium,
quod est species furti.

Raptus igitur præter speciem luxu-
riae (quam fuisse secutam non est necesse
ad substantiam raptus (est peccatum mor-
tale contra Justitiam raptæ, aut eorum
sub quorum potestate est. Est etiam ve-

M m m m

EUS

rus raptus; etsi quis per alium scienter rapiat, Tamb. *lib. 7. Decal. c. 6. §. 2. n. 16.* Dirimit matrimonium, dum ex fine contrahendi illud rapitur illa invita, pœnas raptoris lege apud Tamb. *num. 9.* ex Trid. *Ses. 24. c. 6. de Reform. matr.* quas etiam incurrit exequens iussu raptoris actionem rapiendi, hæc tamen actio inter eum, & raptam non dirimit matrimonium, quia non rapit pro se, pro quo solo est latum impedimentum Tamb. *cit. num. 16.*

Copula cum ebria, aut dormiente, &c. non est proprie raptus, est tamen contra iustitiam, quia copula fit cum fraude, & ideo in confessione debet exprimi.

Sexta species est Sacrilegium Carnale, quo per peccatum luxuriæ persona, aut res DEO sacra violatur. Est triplex carnale personale, carnale locale, carnale reale.

Carnale personale dicitur, quo vel persona voto cœstitatis DEO obstricta cum non obstricta, aut e contra, aut utraque sic ligata violatur. Voti hujus simplicitas, & solennitas non variat speciem, sed solennitas auget. Quando uterque est voto obstrictus, est proportionaliter discurrendum, sicut de adulterio, quando ambo sunt conjugati. Propria hujus Sacrilegij carnalis malitia consistit in læsione virtutis Religionis, potestque committi in omnibus speciebus tam naturalibus, quam contranaturalibus luxuriæ, aspectu, tactu, corde, ore, & opere.

Carnale locale est, quo per feminis effusionem non modo illicitam, sed etiam licitam, sive conjugalem sine necessitate

exercitam, & quidem probabilis contra Vasq. Pont. &c. etiam occultam locus ab Episcopo consecratus, aut benedictus violatur.

Carnale reale est, quando quis re sacrâ abutitur ad hoc peccatum patrandum, ut si quis adhibet res sacras, ut Evcharistiam, &c. ad conciliandum amorem venereum: aut si textus scripturæ profert ad se, aliosvè impudicè oblectandos; aut si gestans Evcharistiam peccaret, aut indutus sacerdotalibus sæda ageret. Huc spectat sacrilegium sollicitationis ad turpia in confessione, aut occasione confessionis, seu pretextu confessionis in quovis loco, proinde ut singulariter observat Sporer *p. 4. Theolog. Sacram. c. 3. num. 622.* etiam in domo sæculari apud simulatam infirmam, quam quis titulo confessionis accedit.

In abusu rei sacræ explicanda Confessario qualitas rei sacræ, non enim participat eandem sanctitatem Less. *Lib. 2. c. 45. num. 17.* ubi omnes hæreticos facit Sacrilegos, qui perniciosè mendacia stabiliunt verbo divino, imò tunc DEUM ipsum faciunt authorem mendacij consequenter tacitè eum blasphemant.

Contra sacrilegos in confessione, aut hujus occasione ad impudica Sollicitatores gravissimas fulminans pœnas plures Pontifices, ac simul mandant Confessarijs, ut pœnitentes sollicitas obligent ad denunciandum inquisitioni, aut ordinario loci sollicitantes. Verum teste cit. Sporer omnes Doctores Germani observant in Germania quoad hoc punctum denunciationis præfatas Bullas, non esse tam rigidè usu receptas.

Omnes

Omnes has sex species distingui inter se specifica distinctione cuius consideranti propriam singularum malitiam, & rationem, à quâ singulæ turpitudinem desumunt, facile constat, singularum enim ratio est talis, quæ adhuc fundat prohibitionem, etsi aliarum specierum rationes amitterent per impossibile mali-

tiam: & ideo benè procedit nostra Regula n. 864. posita.

Restat species à S. Th. ultimo loco posita ab eo nuncupata vitium contra naturam sed cum egeat expositione longiore, de ea agam

§. sequente.

* *



§. IV.

Regula nostra discernens distinctionem specificam in peccatis applicatur speciebus vitij Luxuria

contra naturam.

§72. **F**inis à natura intentus in actibus venereis est generatio prolis. Et sic, in quantum impeditur generatio prolis, est vitium contra naturam, quod est in omni actu venereo, ex quo generatio sequi non potest, ita S. Th. 2. 2. quæst. 154. a. 1. in Corp. Ut autem actus venereus non sit inordinatus, sed aptus de se generationi, debet esse inter duos ejusdem speciei sexus diversi, in vase debito, & servato debito, seu naturali modo copulæ inter conjuges. Quatuor igitur species sunt vitij contra naturam, nempe pollutio, Sodomia, bestialitas, & innaturalis modus concumbendi.

Pollutio, sive mollities est voluntaria seminis effusio sine corporum conjunctione solius voluptatis gratiâ. Est contra jus naturale, & divinum, & sem-

per mortalis directè voluntaria ex 1. ad Cor. 6. Molles regnum DEI non possidebunt, & cum sit usui necessario conjugali dispendiosa, est etiam contra jus naturale.

Dividitur 1. In perfectam, ac inchoatam, ista est ipsa alteratio, quæ fit in partibus verendis per commotos Spiritus generationi servientes, in qua alteratione sita est venerea delectatio; illa verò est humoris spermatici, seu seminis effusio.

Dividitur 2. In Voluntariam directè ac indirectè, ac in involuntariam; hæc sequitur præter voluntatem sine patientis cooperatione, illa verò, si est intenta, vel procurata dicitur directè voluntaria, indirectè verò, dum non intenditur, sed ponitur causa, aut posita

M mmm 2

non

non remouetur cum præuisione ejus securæ.

Diuiditur 3. In simplicem, & qualificatam, simplex est, cui nulla alia malitia ex parte personæ, aut objecti cogniti, aut personæ complicitis, aut instrumenti animati, vel inanimati est adjuncta: qualificata est, quæ habet annexam aliam malitiam specie distinctam à pollutione, e.g. fornicationis, vel adulterij, vel incestus, vel Sacrilegij, vel Sodomix.

873. Qualificata ex parte objecti cogniti est, dum quis se polluens imaginatur sibi aliam personam morosè se in ea oblectando, aut desiderando eius præsentiam; induit speciem novam necessariò explicandam in Confessione à circumstantia objecti cogniti, nam si hoc est fœmina libera, ultra pollutionem est in specie fornicationis (idque probabiliter procedit etiam tunc, quando se polluens habet pro objecto fœminam, ut pulchram abstrahendo à qualitate personæ Sporer p. 4. *Theolog. Sacram. tract. 4. cap. 3. num. 629.* Contra Sanchez; si conjugatam, est in specie adulterij, si consanguineam aut affinem, est in specie incestus, si voto obstrictam est in specie Sacrilegij, si marem, est Sodomix perfectæ, dum fit ex affectu ad sexum, imperfectæ verò si ex imaginatione uasis præposteri diversi sexus; si ex imaginatione pecudis, est bestialitas.

Hinc apud Tamb. *lib. 7. Decal. cap. 7. §. 2. num. 10.* visum est Theologis, quod polluens se cum aspectu pulchræ imaginis, vel statuæ obligetur exprimere qualitatem personæ repræsentatæ per statuam e. g. pollui me cogitando

de fœmina libera, vel masculo, vel pecude (vel de fœmina in genere, seu in confuso cum præcisione à statu, ut proximè insinuatum) præmittit *num. 3.* quod polluens se intra certas fœminæ partes extra vas debitum, aut intra partes viri extra vas præposteriorum, non sunt explicandæ partes, nisi adfit affectus ad præposteras quod Filliucius *tract. 30. cap. 8. num. 155.* extendit, etsi fiat in ore: verùm alij horrent id credere, cum adeo videatur excedere reliquas deordinationes luxuriæ, ut meritò videatur esse nova species, quam aliqui apud Dian. irrumationem.

Si quis à cœpta copula refiliat animo seminandi extra vas, uti sæpe practicannt fornicarij ad evitandam imprægnationem continet malitiam inchoatæ fornicationis in affectu, in opere verò malitiam consumatæ mollitiei, nisi fornicarius pœnitentia ductus se retrahat, prout potest, imò etiam contra Sanch. *lib. 9. de Matr. D. 19. num. 7.* debet se retrahere non obstante periculo securæ pollutionis, quia erit inuoluntaria.

874. Item est qualificata ex parte se polluentis, ut si sit conjugatus, aut voto Castitatis obstrictus, aut si manibus suis polluat conjugatum, vel consanguineum, vel voto ligatum, cooperatur enim adulterio, incestui, Sacrilegio.

Utrum autem obstrictus voto, siue simplici, siue solenni Castitatis peccet contra suum votum, si citra propriam delectationem, aut cooperationem desiderat alterius lapsum carnalem, aut consulat, decisum est à *num. 74.* ubi ut probabi-

habiliorem secutus sum affirmativam *num.* 76. & quidem juxta hanc esse præcedendum cum Religiosis Societatis *num.* 77.

Rursus est qualificata pollutio ex parte complicitis, ut quis polluatür tactibus personæ alienæ; quo casu est explicanda qualitas alterius personæ cooperantis, & quidem duplici titulo, videlicet peccati proprii, & peccati alieni, nam præter peccatum proprium cooperatur peccato alieno, tactus impudicos alterius admittendo, atque adeo duplicatum ad minimum numerum peccatum committitur. Dixi *ad minimum*, quia tactus libidinosi cum alia persona sunt quasi inchoata copula, & præcisè ad eam ordinati (licet ex intentione operantis ad eam non ordinarentur Sporer *num.* 632.) ergo illos exercens cum alio, aut admittens alterius tactus impudicos, aut ad hos invitans admittit inchoatam copulam speciei diversam nempe fornicationis, adulterij, incestus, Sacrilegij, Sodomix &c. pro diversitate personæ alterius tangentis, & ideo debet exprimi ejus qualitas, an fuerit fœmina, eaque, vel soluta, vel conjugata, vel consanguinea, aut Deo consecrata, aut mas; ita Communis, & vera sententia Dicastilli apud Dian. *p.* 7. *tract.* 12. *Resol.* 15. etsi quis sic se polluat sine affectu erga talem personam quia, ut dictum est, tactus Libidinosus cum alia persona est ex natura sua inchoata copula cum eadem, Maftrius *Theolog. Moral.* *D.* 11. *n.* 130.

875. Polluens se tactibus cum puero doli incapace, aut cum fœmina, vel masculino ebrio, aut dormiente, aut bruto sine concubitu, adhuc debet id ipsum

detegere confitens, non quidem ratione peccati alieni (quia tunc non cooperatur peccato alieno) sed proprii, siquidem pollutio per tactum pueri, fœminæ, bestix &c. ex natura sua medijs hisce tactibus ordinatur ad diversas specie copulas cum deordinatione ad indebitum corpus, sexum, & hujus qualiratem, Dicastill. apud cit. Dian. contra Cajet.

Demum indubitatum est, quod se ipsum polluens teneatur detegere qualitatem sui status, an sit solutus, aut conjugatus, illigatus voto, nam si conjugatus, est adulterium, si DEO dicatus per vorum, est Sacrilegium carnale.

Pollutio Religiosi secuta ex sola interna imaginatione turpi, vel etiam aspectu rei turpis absque ullo externo conatu sensibili adhibito, an sit reservata. Negat ut probabile Sporer cit. *num.* 638. ex Dian. *p.* 4. *tract.* 4. *Miscell. Resol.* 61. reservatur enim pollutiones voluntariæ procuratæ, quod externam actionem pollutionis causativam importare videtur, est contra Communiorem cum Soarez.

Cum nec statua, nec fœmina mortua sit fœmina, sed Cadaver copula cum ea tentata non est fornicatio, sed mera pollutio, unde non rectè diceret me pollui cum fœmina, sed sic: pollui me cum instrumento inanimato cum affectu ad fœminam, cit. Sporer *num.* 639. ex Tambur *lib.* 7. *Decal. cap.* 7. *§.* 2. *n.* 10.

Si instrumentum, quo procuratur pollutio, sit inanimatum per se non variat speciem instrumenti qualitas, secus animati, ut proximè ostendi, atque adeo per se non est explicanda in Confessione.

Superst declaratio pollutionis indirecte, seu in causa voluntatis, an & quantum sit peccatum, sed cum de hac per longum sit disceptatum à *num. 78. ad 114.* eò me remitto.

876. Altera vitij contra naturam species est Sodomia perfecta, aut imperfecta. Perfecta formaliter, & proprie consistit in copula carnali consummata inter personas ejusdem Sexus ex affectu ad talem, ut si concumbat vir cum viro ex affectu ad virum, fœmina cum fœmina ex affectu ad eandem.

Unde est mollities non Sodomia, si duo ejusdem Sexus se commisceant practice animo explendi libidinem sine affectu ad talem Sexus. E contra est vera Sodomia commixtione cum effusione ex tali affectu, etsi non fiat intra vas præposterum, ita docent plures cum Tambur. §. 3. *num. 3.* contra Communiorem, quia effusio etiam extra vas præposterum procedens ex tali affectu non est mollities, ergo est perfecta Sodomia: vas ergo præposterum se habet materialiter ad perfectam Sodomiam, aliàs inter fœminas perfecta Sodomia esse non posset, unde probabiliter bene confitetur dicendo, commisi Sodomiam, quin explicet an intra, vel extra vas præposterum.

In Sodomia debere exponi, an quis fuerit agens, aut patiens est communior & probabilior opinio cum Lugo *de Pœnit. D. 16. num. 243.* Dicastill. *de Pœnit. D. 9. num. 465.* contra Mastr. *nu. 132.* & multos approbatos à Diana *p. 3. tract. 4. Resol. 159. & p. 5. tract. 14. Resol. 56.* Ratio, quod agens peccatum diversa speciei committat à peccato patientis, ille enim committit pollutio-

nem, iste vero duntaxat tactum impudicij cooperatur quidem pollutioni agentis, verum, cum hanc non intendat, cooperatio quoad esse pollutionis est solum indirecta, proinde reductive pertinet ad speciem pollutionis, & exinde non sequitur proprie esse in specie pollutionis, est Dicastill. *num. 466.* Si patiens etiam polluat, fateatur etiam Mastrus cum pluribus, eum debere exprimere pollutionem, eò quod dupliciter peccet, nempe pollutioni cooperando, & eam in se operando, quæ operatio, cum per se non sequatur ex Sodomia passiva, ideo seorsim est aperienda.

877. Sodomia imperfecta dicitur, si vir cum fœmina concumbat in vase innaturali seu præpostero. Distinguitur specie morali à perfecta, quia licet non servetur vas debitum, servatur tamen juxta intentionem naturæ sexus debitum.

Tam perfecta, quam imperfecta potest habere alias annexas malitias e. g. fornicationis, adulterij, incestus, nimirum dum complex uterque est solutus, est species etiam fornicationis, si alter est conjugatus, aut Consanguineus addit speciem adulterij, vel incestus. Unde si vir propriam uxorem cognoscat præpostere, est etiam adulter, debetque exprimere fuitatem uxoris, nisi enim hanc exprimat, Confessarius intelligit Sodomiam cum adulterio commissam cum non sua. Sanch. *lib. 9. D. 18. num. 4. & 5.* recte præmittens *nu. 3.* hunc actum etiam inter conjuges esse graviolem actu simili inter solutos, inter hos enim est simplex peccatum contra naturam, & quamvis accessus inter solutos sit peccatum contra substantiam, & modum, consequen-

consequenter secundum quid gravior accessu mariti ad uxorem præpostere, quatenus ad hanc accessus est duntaxat culpa quoad modum, nihilominus absolute & simpliciter est gravior, quia ultra peccatum contra naturam est adulterium tam ex parte mariti, quam uxoris, uterque enim agit contra fidem matrimonij, hoc enim rectificat actus duntaxat conjugales, & naturales.

Conveniunt omnes AA. quod reservatio Sodomix, aliæque pœnæ latæ in Sodomitas non cadant, nisi supra Sodomiam perfectam secundum omnes certò talem, unde non subijcitur reservationi simpliciter factæ copula Sodomitica cum fœmina, quia reservatio, uti & alia quavis pœna est odiosa, atque adeo restringenda, Tamb. *Lib. 7. Decal. c. 7. §. 6. num. 5.* Et cum Sodomia, quæ sit undequaque perfecta apud omnes Authores non accidat, nisi fiat feminatio intra vas præposterum, sequitur patientem non incurrere reservationem, dum est inter mares, ita probabile censet cit. Tamb. *num. 3. & 4.* si autem est inter fœminas nec agens eam incurrit, cit. Tamb. *n. 3. & §. 3. num. 5.* Sporer *n. 627.*

878. Tertia species vitij contra naturam est bestialitas consistens in coitu hominis cum bruto. Est gravius ceteris contra naturam peccatis ob non servatam identitatem speciei. Specifica diversitas bruti, aut hujus sexûs non variat speciem. Pœna ejus *Levit. 20.* fuit occisio tum hominis, tum bruti; de jure civili est combustio utriusque vivi.

Ad hanc speciem revocatur concubitus cum dæmone succubo aut incubo in specie bruti vel hominis, & licet dæmon

assumat speciem hominis, adhuc commercij cum illo est diversa: speciei à quovis coitu hominis cum homine, & à bestialitate, superaddit enim malitiam contra Religionem propter commercium cum hoste DEL. Et ideo est declaranda à pœnitente circumstantia dæmonis, & quidem an sub forma bruti, aut fœminæ liberæ, aut conjugatæ, aut consanguinæ, aut DEO dicatæ, aut sub forma viri, & cujus status, an extra aut intra vas, quia bestialitati, ad quam secundum omnes revocatur, adjicit novam speciem vel fornicationis, vel adulterij, vel incestûs, vel sacrilegij, vel Sodomix: Bestialitas universalis, ut comprehendat etiam commercium cum dæmone recte definitur à Sporer *num. 625.* ex D. Th. & alijs: *quod sit peccatum contra naturam, quo homo concumbat cum re animata diversa speciei.*

Quarta species est inordinatus, seu innaturalis modus concumbendi servato aliàs sexu, & vase debito, ut si fœmina incumbat, seu agat partes viri: reliquos modos vide apud Busenbaum *Lib. 3. tr. 4. c. 2. dub. 3.* Est autem communis opinio, quod per se loquendo hæc species inordinationis contranaturalis non sit mortalis, sed gravis venialis etiam inter conjuges, nisi causa rationabilis eos excuset, prout plures causæ possunt excusare, ut si vir præ pinguedine sua, aut uxoris aliter nequeat accedere aut si ex modo naturali foret periculum abortus, &c.

Concludo hunc §. & dico omnes has species invicem specificè distingui, id enim constat facile, si naturam cujusvis speciei comparet cum alia, eamque exploret ad Regulam nostram de specifica distin-

distinctione. Ratio brevis est, quod mollities minuat affectum ad usum conjugalem, Sodomia tollat reverentiam, & verecundiam inter homines ejusdem sexus necessariam, bestialitas affectum humanum in bestialem transformet.

Doctrina negans specificè distin-

gui species præfatas est damnata ab Alexand. VII. proposit. 24. quæ ita habet: *Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infima, idòque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.*



§. V.

Regula nostra de specifica peccatorum distinctione applicatur alijs peccatis à luxuria distinctis.

879. **F**urtum, & rapina specie differunt, esto opponantur eidem virtuti justitiæ: nam data licentia clam accipiendi alienum, adhuc rapina esset detestabilis propter violentiam, seu personalem injuriam; & vicissim data licentia rapiendi, adhuc superest ratio non furandi, concessâ enim facultate rapiendi, rapina non potest fieri, nisi à potentioribus contra minus potentes, & ideo minus noceret proximo, ac bono Communi, quàm si etiam furtum liceret, hoc enim concessio plures paterentur rerum suarum jacturam æquè ab impotentibus, ac à potentibus.

Similiter furtum, detractio, & homicidium specie distinguuntur, quia opponuntur distinctis specie obligationibus à Justitia inductis, quarum una sublata adhuc restant cætera. Demus enim fas esse Dispensatione alienum usurpare, per hoc non cessat obligatio non detrahendi,

non occidendi, siquidem in incommodis, quæ ex furto, si hoc liceret, sequi solent, non continentur incommoda, quæ sequerentur ex licita detractioe, vel occisione, nec è contra.

880. Voto Castitatis irretitus peccans contra Castitatem fornicando duplici specie malitiæ peccat, nempe contra Castitatem, & Religionem, quia voto dispensato adhuc est fornicatio illicita, & è contra. Si DEUS dispensaret in fornicatione, prout potest, adhuc copula foret sacrilega adversus Religionem. Hac de causa conjuges ex mutuo consensu videntes abstinendam à copula, si huic vacarent, forent rei sacrilegij personalis. Econtrà fornicatio contra votum Castitatis solenne est ejusdem speciei cum commissa contra votum simplex, quia si cum voto solenni liceret fornicari, nulla specialis deformitas apparet in fornicatione contra votum simplex.

Fra-

Fractio voti pro specifica materia promissæ diversitate non variatur specie, quia omnes materiae promissæ per votum constituuntur in materia Religionis sub eodem motivo. Idem dic de materia juramenti DEO facti, hoc tamen specie distinguitur à juramento propter modum diversum, quo respiciunt Religionem, votum enim respicit, ut fides servetur DEO; juramentum verò, ne DEUS invoceur in testem falsi, quæ rationes sunt omnino invicem separabiles facta enim hyporhesi, quod liceat fidem DEO datam violare adhuc ratio dicitur, ut non invocetur in testimonium falsitatis, nec contra Sanch. *Lib. 9. de Matr. D. 15. num. 6.*

881. Furtum, & desiderium rei alienæ sunt ejusdem speciei non obstante, quod istud sit contra præceptum decimum Decalogi, furtum autem contra septimum, concessio enim furto nulla relucet ratio verandi desiderium rei alienæ, nec contra. Idem est de adulterio prohibito per sextum præceptum, & de concupiscentia uxoris alienæ vetita per nonum.

Labor die Festo est peccatum specie distinctum ab omissione Missæ, illud enim est peccatum commissionis, Missæ verò neglectus est peccatum omissionis: sunt contra duo formaliter præcepta, quorum unum non includitur in altero. Ratio est, quod ex licentia laborandi non sequatur licentia fierum omittendi, nec vicissim estque peccatum unum contra Religionem per excessum, nimirum labor, omisso verò Missæ per defectum.

Omissio Breviarij in beneficiato in facis constituto, an sit unicum specie,

R. P. Karch, Diss.

aut duplex peccatum litigat Pal. *p. 2. tr. 7. de Orat. Horar. Canonic. D. 2. p. 5.* cum Sanch. *Lib. 9. de Matr. D. 15. num. 6.* stante pro duplici quia viola duplex præceptum; nempe Religionis titulo Ordinis sacri; & Justitiæ titulo beneficij, hoc enim confertur cum debito, seu onere recitandi horas, aliàs non facit fructus suos; Palao contendit esse unicum propter uniditatem præcepti Religionis, solo isto tam beneficiato, quam Clerico in sacris, ac Religioso præcipitur recitatio, ergo omissio est contra solam Religionem, non contra Justitiam, quamvis beneficium conferatur propter officium, id est, cum onere, & obligatione dicendi horas, quia collatio non fit sub obligatione Justitiæ, sed Religionis, quæ obligatio non ex beneficio, sed ex præcepto ratione beneficij imposito originem habet.

Resp. Mihi magis probari esse duplex specie distinctum: esse contra Religionem fatetur Palao, esse etiam contra Justitiam probatur, quod acceptans beneficium quasi contrahat cum Ecclesia contractu *do ut facias*, sed contractus, & quasi contractus est ex præcepto Justitiæ implendus. Citatus Sanch. bene notat, quod Franciscanus Monachus die Veneris, in quem incidit jejuniium Ecclesiasticum violans illud peccatum duplex specie committat, unum vi præcepti Ecclesiæ contra temperantiam, alterum vi Religionis contra votum obedientiæ, vi cujus tenetur Regulam servare ferijs sextis obligantem jejunare.

882. Cum jejuniij substantia consistat in duobus, nempe in unica refectione, deinde in abstinentia à Carnibus, se-

Nnnn

qui-

quitur præceptum jejunandi violari per refectionem duplicem ex cibis, sive esurialibus, sive carnalibus, & quidem duplici distincto peccato, quando primò vice violatur per esum carniæ; Sanch. citandus *num. 50.* contrà Trullench: hic enim duplici die jejuniæ est prohibitus præcepto: primò indirectè, & accessoriè à præcepto jejunandi, quatenus jejunium absque abstinentià à Carnibus impleri nequit, & hoc præcepto teneatur soli obligati jejunare, unde deobligatus à jejunio, potest, in quantum est vi hujus præcepti, comedere carnes.

Secundò prohibetur esus carniæ directè, ac per se non solum diebus omnibus jejuniæ, sed etiam singulis diebus Veneris, Sabbathis, ac Dominicis quadragesimæ, isto præcepto obligantur omnes fideles post septennium, ita Sanch. *Lib. 5. Decal. c. 11. num. 42.* Hoc secundum præceptum à primo distingui constat, tum, quod isto directè præcepta sit abstinentià à carnibus, secus illo de jejunando, tum quod sit separabile à primo, nam istud secundum obligat omnes post septennium, non primum. Item obligat diebus omnibus Veneris, & Sabbati per annum, ac etiam Dominicis in quadragesima etsi præceptum jejuniæ non stringat. Ex hoc.

883. Difficultas oritur, utrum violator jejuniæ præcepti per esum carniæ peccet peccato specie diverso à violatione per secundam refectionem non carnalem. Rhodes hic *D. 1. q. 1. S. 2. §. 1. vers. sequitur.* Et alij apud Dian. *p. 5. tr. 7. Resol. 2.* affirmant. Negat Soarez *de Pœnit. D. 22. S. 3. num. 12.* obligat ta-

men ad exprimendum in confessione, utrum violatio contigerit per esum carniæ, quia, inquit, notabiliter variatur judicium Confessarij, sive sit specifica sive numerica distinctio, ad stipulatur Laym. *Lib. 1. tr. 2. c. 1. num. 3.* unde Gobat *Theolog. Juridico-Mor. c. 23. n. 314.* cum Palud. Granad. & alijs apud Dian. *p. 5. tr. 14. Resol. 56.* contra Fagundez putat quod esus carniæ sit gravius peccatum, quam sumptio integra bina ex piscibus, quia in esum carniæ est dispensatio difficilior, quam in duplici refectione ex piscibus die Jejunij, & gravius puniuntur edentes carnes, quam sine his non jejunantes.

Resp. Ad difficultatem videri probabilius esse, quod sit ejusdem speciei peccatum, ita cit. Gobat, Ratio ex Regula assignata §. 2. est, quod, si fas esset vesci carnibus die Jejunij, nulla se offerat ratio prohibendi die Jejunij usum ceterorum ciborum, siquidem fatentur omnes esse impossibile Jejunium comestis semel carnibus, etsi magis sit essentialis jejunio unica resectio, quam abstinentià à carnibus teste Sanch. *n. 42.*

Nihilominus licet violans jejunium præceptum ab Ecclesia, vi hujus præcepti sufficienter confiteretur dicendo, semel violavi jejunium sine necessitate exponendi, an per carnes vel per alios cibos, quia tamen eodem die coincidit præceptum distinctum omnibus fidelibus post septennium vetans directè ac principaliter esum carniæ, propter hoc committit distinctum numero peccatum, quod explicare non potest, nisi exprimat esum carniæ.

884. Nota hic, quod votum jejunandi pro die, quæ licitus est usus carnis, si vovens nil aliud expressit, sit interpretandum instar præcepti jejunandi, vi cujus solum indirectè præcipitur abstinentia à carnibus. Ratio, quia dum mens voventis non constat, interpretatio voti sit talis, quæ minus sit voventi onerosa; est autem minus onerosa, si fiat interpretatio voti eo modo, quo interpretatur præceptum Ecclesiæ de jejunio: è contra foret magis onerosum, si fieret interpretatio instar præcepti secundi explicati *num. 882.* cunctis pollentibus fidelibus usu rationis impositi, aliàs, sicut contra hoc præceptum toties quis peccat, quoties die Veneris &c. carnes comedit, ita vovens jejunium pro die quo fas est vesci carnibus, peccaret contra votum toties, quoties ederet, hoc autem est falsum; cum si vovens pro eodem illo die haberet causam excusantem à jejunio, carnes edendo non peccaret, excusatus enim à principali excusatur etiam ab accessorio, esus autem carnis accessorie duntaxat est prohibitus vi præcepti jejunandi. Si autem vovens non esset excusatus à jejunio, hoc semel violato, adhuc licet comederet carnes, quia cessante principali parte jejunij, cessat prohibitio accessorie, nempe esus carnis; si vovens voto expressè intenderet unicam de die comestionem, tunc omnino toties, quoties ederet, peccaret. Notatio tota est Sanch. cit. *n. 42.*

De distinctione specifica desiderij efficacis, & inefficacis de eodem objecto, malo, ac gaudium de eodem præterito, utrum pro diversitate malorum specie morali differant, proinde qualitas malo-

rum sit detegenda Confessario, consule *num. 586. & seq.*

De specifica distinctione sacrilegij circa res sacras, detractionis, contumeliæ, & judicij temerarij, jactantiæ blasphemiar, infidelitatis, superstitionis, fuse disputo à *n. 615. ad n. 631.*

885. Ex ibi dictis patet esse controversum, utrum detractio, & contumelia; judicium temerarium, specie distinguantur, quando fiunt de vitijs specie distinctis. Communissima opinio apud, & cum Dicastill. *de Pœnit. D. 9. n. 502.* Lugo &c. negat ob datam rationem *num. 615.* Hæc opinio est practicè tuta. Ex hac sequitur, quod fama, aut honor læsus in uno genere sit compensabilis laudando in alio. Affirmant alij, quos probabiliter differere fatetur Dicastill. *num. 505.* juxta hos proclamans aliquem adulterum non compensabit amissam existimationem laudando illum à liberalitate, alijsvè virtutibus. Consequenter negant fundamentum opinionis communioris opposita, videlicet, quod fama, aut honor alteri debitus sit semper ejusdem rationis. Horum opinionem speculative puto esse probabilem.

Si petas an detractio in crimine falso sit specie distincta à detractione in crimine vero, sed occulto. Negat Soares *de Pœnit. D. 22. S. 3. num. 12.* Diana *p. 5. rr. 1. Resol. 56.* Tamb. *Lib. 2. Method. Exped. Confess. c. 9. §. 1. num. 5.* quia eadem bona existimatio, seu fama tollitur. Affirmat Moya *in Select. rr. 3. D. 3. q. 3. c. 14. à num. 123.* quia aliàs non esset mortale crimen falsum imponere coram, vel duobus contra omnes, si-

cut non est mortale crimen verum occultum, uni, aut duobus taciturnis prodere juxta sententiam probabilem. Hanc opinionem præfero.

Ob dictam rationem cenſeo eodẽ quod Judicium temerarium ſpecie morali ſit diſtinctum à detractiõne, licet eadem exiſtimatio proximi tollatur per utrũque vitium: tollitur enim diverſo modo, ſicut rapina, & furtum ſpecie differunt propter modum diverſum lædendi juſtitiam. Ratio etiam eſt, quod aliàs probabiliter nunquam temerè judicans peccaret mortaliter, cum probabiliter non peccet mortaliter detrahendo coram uno, alterõve rem celaturo, ſed ſecundùm omnes peccat mortaliter judicans temerariè in materia gravi.

886. Addo cum eodem à n. 125. ut quis judicio temerario peccet mortaliter præter materiæ gravitatem requiri judicium plenè deliberatum ex levibus, & inſufficientibus indiçijs de peccato proximi conceptum abſquẽ formidine in oppoſitum, undè judicium cum formidine ex dictis indiçijs formatum non eſt temerarium, ſed ſuſpicio, ita Laym. & alij cum Diana 3. p. tract. 5. Miscell. Reſol. 31. ex S. Th. 2. 2. qu. 6. a. 3. cum aliquis, inquit, pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiçijs. ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale. Ex quo Cajet. in ſumma Verb. Judicium

temerarium ſic loquitur: *Si autem judicet de peccato mortali, & non affirmativè in corde ſuo determinat, quamvis credat firmiter, & temerariè, non peccat mortaliter, quia non definitivè judicat;* id eſt, non judicio certo, quia remanet formido de oppoſito.

Ex hoc loco Cajetani rectè advertit Moya n. 126. quod credulitas firma (quã importat *ly credat firmiter*) non excludat formidinem de oppoſito, ſed componatur cum opinione temeraria. Suſpicans, aut temerariè opinans ut plurimum ex errore intellectûs apprehendit illa indiçia tanquã ſufficientia, etſi talia non ſint. Si apprehendat quis ut inſufficientia, non poteſt moveri ad ſuſpicionem, niſi fortè ex malevolentia, & pravo affectu voluntatis erga proximum voluntas enim poteſt facere ut intellectus rationes levis momenti apprehendat vehementiùs, eiſque moveatur ad judicium non ſolum formidoloſum, ſed etiam ut certo verum eſſe arbitretur. Idem n. 127. concludens cum Mol. Dicatill. & alijs, quod ſecluſo pravo affectu, & odio, rarè aut nunquam judicium temerarium contingat, cum raro, aut nunquam dictis ſecluſis abſquẽ oppoſiti formidine judicium firmum, & certum ex levibus indiçijs concipiatur.

* *
*





ARTICVLVS. IX.

De numerica peccatorum Distinctione.

§. I.

Præmittuntur hac de re quædam certiora, & quæ sit radix hujus Distinctionis.

887. **C**ertum est, quod coram DEO quævis actio peccaminosa, live externè consummata per quamcunquè physicam interruptionem faciat peccata numericè distincta, licèt contingat circa idem objectum, ut si quis continuat turpe desiderium erga eandem sceminam, tot sunt numero peccata coram DEO, quot re ipsa distinctas numero elicit concupiscentias, Dicastill. *de Pœnit. D. 9. à num. 63.* Ratio, quia quodvis desiderium est consensus distinctus, & nova libertas, ergo quodvis est novum peccatum,

Nihilominus non omnis, quæ in foro DEI, & coram DEO est numerica distinctio peccatorum, est præcepta in foro Sacramentali, id est, non omnes eæ actiones, quæ coram DEO faciunt plura peccata, etiam ut plura censenda sint, ac exprimenda in Confessione Moya p. 1. in *Select. tract. 3. D. 2. quæst. 1. §. 2. num. 8.* contra Soarez *de Pœnit. D. 22.*

Secl. 5. num. 15. Ratio est, quod Christus præcipiendo Confessionem peccatorum quoad speciem, & numerum præceptum suum accomodaverit communi hominum judicio, ita ut censendum sit unicum numero peccatum, quando secundum communem æstimationem actio unica in genere moris, multiplex verò, quando live conditio, & natura actionis, live interruptio est talis ut moralis hominum opinio judicet multiplicari, nisi enim sic definiatur peccatorum numerus, præceptum Christi esset moraliter impossibile observatu.

888. Hinc consequens est, quod cum ex physicis actuum interruptionibus actuum unitas, aut pluralitas peccatorum quoad forum Sacramentale nequeat desumi, recurrendum sit ad prudentium virorum communem æstimationem, ac juxta eam sit taxandus numerus, ita communis cum Dicast. *num. 65. juncto 104.* qui benè observat *num. 71. & 101.* in

Nnn 3

hoc

hoc ipso universalem regulam dari non posse, quia in quibusdam actionibus notabilis distantia unius ab alia non impedit moralem unitatem, sic interposita longissima concio non tollit moralem unitatem inter primam, & secundam partem sacri; in prandio verito e. g. in esu carniū die Veneris est moraliter unica comestio, licet inter unum, & alterum cibum longior intercedat confabulatio. E contra unico tractu die Nativitatis Christi legens tria Sacra censetur non unam, sed tres Missas dicere, ac ter communicare, atque, si indignè celebret, tria peccata committere, cum tamen sit unica communio, dum Sacerdos post sumptas species per plures horas populo particulas distribuit, & postea residuas absūmit. Prudens igitur iudicium in hominum aestimatione, dum quæritur, an actus physicè interrupti, ac distincti sint moraliter, unus, aut plures actus humani, pendet ex natura actionis, ejus materia & circumstantijs.

889. Radix distinctionis numerica videtur esse triplex. Prima, est multiplicatio objecti non multiplicato actu, ut si unico actu concupiscas pluribus carnaliter comisceri. Secunda est multiplicatio actuum circa idem objectum: hæc multiplicatio fit tripliciter; primò, per pœnitentiam, ut si post conceptum furandi desiderium te pœniteat, postea iteras propositum furandi id ipsum. Secundò, per voluntariam cessationem à Concepto


proposito malo sine hujus positiva retractione. Tertia, per Involuntariam ad alia objecta conversionem, seu per involuntariam distractionem, quò revocatur somnus, ebrietas, oblivio.

E contra idem actus citra multiplicationem perseverare potest dupliciter. Primò, formaliter, ac in se, Secundò, virtualiter, id est, in aliquo suo effectu, sic moraliter continuatur intentio occidendi Petrum in armorum preparatione, equi conscensione, itinere assumpto &c. et si physicè, ac in se interrumpatur per oblivionem, seu actualis cogitationis de occisione carentiam.

Ut in hac satis perplexa materia sine confusione procedamus, inquiremus primò numericam in actibus externis distinctionem. Secundò, in actibus internis circa idem objectum sæpius interruptis physicè, & repetitis. Tertio, in actibus externis, aut internis, quorum singuli tendunt in plura numero objecta ejusdem speciei. Quid autem censendum quando actus, & objecta multiplicantur facile patebit partim ex primo, partim ex tertio. Quarto ad quantum numerum se extendunt particula, plus, minus, aut circiter, quibus utitur pœnitens, dum certum numerum non habet exploratum. Quinto, subjiciemus modum, quo inhabitatus peccator ignorans numerum, & speciem peccatorum confiteri debeat.

* *

*





§. II.

De numerica peccatorum Distinctione in actibus externis.

390. **V**Asq. in 3. p. quest. 91. a. 1. dubit. 5. Marat. de Pœnit. D. 26. S. 3. docent actiones externas invicem non subordinatas, prout subordinantur media, & finis, multiplicari moraliter numero, quoties finis voluntatis formaliter in se, aut virtualiter non perseverat in medio ex illa procedente, unde inferunt multiplicari peccata, quoties voluntas definit actualiter peccare, ut tempore somni, distractionis &c.

Secunda, sententia asserit multiplicari per retractationem præteritæ voluntatis, hac verò non retractata censerit unicum peccatum, ita plures apud Lug. de Pœnit. D. 16. num. 537. addit num. seq. Coninch. negantem contra Vasq. retractari, ac discontinuari per distractiones, dormitationes &c.

Tertia, sententia P. Matth. Moya in Select. qq. p. 1. tract. 3. D. 2. num. 17. & 19. constat duabus Regulis. Prior est, quod generatim executio finis, & mediorum vi intentionis præviæ positum idem numero peccatum faciant, quoties positio mediorum moraliter non discontinuatur à consecutione, & media de se non sint mala (e.g. dum quis ex fine occidendi præparat arma, viam ingreditur &c.) aut si sint de se mala or-

dinantur naturâ suâ ad finem, nec specie diversam à fine malitiam continent, ut turpiloquia, oscula, tactus ex intentione copulæ præviæ.

Posterior Regula: quoties actiones externæ sive inter eas sit ordo medij, & finis, sive non, juxta asstimationem prudentum reputantur partes integrantes unius actionis humanæ, toties constituent unum numero peccatum.

Consentit Lugo n. 540. Fagundez lib. 3. c. 5. ad 2. præcept. Ecclesiæ: hanc moralem unitatem clariùs explicans, dicit enim in actibus momentaneis, ut in Blasphemijs, injurijs contumelijs, perjurijs, detractionibus, ut sit numerica distinctio, requiri aliquando distantiam inter unam, & alteram unius quadrantis, aliquando minùs. In successivis verò, qualia sunt peccata odij, & amoris, ut plures actiones moraliter non consent unam, postulat plus, minus distantiam horæ mediæ, unde num. 15. inquirens quot numero peccata committat sollicitans fœminam, & eâ non potitur, responderet committi plura, si plus. minusvè per mediâ horam cessavit à sollicitatione, tantum enim temporis in hisce actibus censeur notabile. Eandem sententiam secutus est Tambur. lib. 2.

Ex.

Exped. Confess. cap. 1. §. 8. dicens à prudenti hominum iudicio pendere, an tempus sit modicum inter unam, & aliam e. g. concupiscentiam intercedens, non impediens, quo minus secundo, tertio &c. repetita concupiscentia censeatur fieri eodem moraliter impetu, quo prima. Ratio data Regulae est, quod unica moraliter actio externa sit unicum peccatum.

Quando autem ex pluribus actionibus physicis moraliter una confletur, pendet à iudicio prudentum, quod non ratione, sed exemplis probat Moya à *num. 20.*

891. Dicendum est, quod non sufficiat quavis physica interruptio ad tollendam moralem unitatem externae actionis, sed quando peccatum exterius consummatur, omnes praeviae actiones ad illud subordinatae, conficiant unicum numero peccatum, licet affectus interior saepius interrumpatur, ac renovetur, nisi sit extraordinaria interruptio, si autem actiones invicem non subordinentur, tot sunt numero peccata, quot actiones, siue obiectum sit unicum, siue multiplex ejusdem rationis Soarez *D. 22. S. 5. à n. 24. de Pœnit. Dicastill. de Pœnit. num. 64. D. 9.*

Conclusio habet tres partes. Pars prima patet *ex nu. 888.* in unitate actus celebrandi conflata ex prima, & secunda parte Sacri interrupta per intermediam concionem; in unitate communionis, dum Sacerdos post sumptas species diu Sacras particulas distribuit populo, sumit reliquas; in unitate comestionis physicè interruptae per confabulationem inter cibum unum, & alterum,

Item censeatur unica moraliter confabulatio amasi cum amasio, esto inter conversandum parum indormiat in eodem congressu. Similiter moraliter est unica contumelia, si convitia contra eundem proximum ingemines (saltem si sint in eadem specie materia, in eadem, inquam, nam an contumeliae sibi succedentes in materijs specie diversis sint specie diversae consequenter interrumpant moraliter unam contumeliam ab altera, decisum est *num. 616. & 885.*) quamvis fiat interruptio etiam longiuscula per interposita alia verba occasione alicujus intercurrentis.

892. Pars 2. De actibus subordinatis probatur varijs exemplis; primò, proponentis occidere Petrum, & ex hac intentione parantis arma, equum conscendentis, itinerantis, & quarentis Petrum ad necem, omnes hi actus cum illatione mortis est moraliter unica actio, eaque tota intelligitur, & sufficienter exponitur dicendo: occidi unum hominem: Item satisfacit confitendo peccavi semel cum soluta, aut conjugata &c. est copulam praeferunt desideria plura continuata, confabulatio turpis, sollicitatio, oscula, tactus &c. & horum nulla fiat mentio.

Difficultas major est de hujusmodi turpiloquijs, tactibus, osculis, delectationibus ad copulam paraetam subsequens statim, ac continuatis in eodem loco, utrum cum praeferita copula componant unicum numero peccatum, vel verò distinctum. Pro unico stat *Lugo n. 553.* cum communiore, quia sunt complementum copulae, faciuntque unicum moraliter congressum. Pro novo numerice

ricè peccata pugnat Soarez *num.* 26. Valq. *num.* 27. & 31. quia naturâ suâ disponunt ad novam copulam.

Resp. cum Dicastill. *nu.* 75. utrosque AA. loqui probabiliter statque pro prima sententia praxis pœnitentium se non accusantium de illis, & confessariorum non interrogantium, probabilior tamen videtur opinio secunda.

Quid autem judicandum de præfatis turpiloquijs, osculis, tactibus impudicis sine intentione copulæ, an sint explicandi, etsi postea sit subsecuta copula. Communior affirmat cum cit. Valq. Dicastill. *num.* 76. Lug. *n.* 556. quia secundum se sunt peccatum sive deinde specie, ut vult Lugo, sive numero distinctum à copula: ergo cum defectu intentionis copulæ non faciunt unitatem moralem cum copula, sunt ab hac seorsim explicandi.

Amplia hanc opinionem ad casum, quo actus similes ordinantur ad consummationem alterius, si hic notabiliter distet ab illis, ut si interrumpatur interruptione extraordinaria e.g. si hostis ad necem quæritus non reperiatur domi, sed sit primum rediturus post mensem, & tunc occidatur occasione decretâ ante mensem vi intentionis non revocata.

Eodem modo non est moraliter unica commestio, si discontinuatur notabiliter per interveniens negotium e.g. Spatio unius horæ durans. Doctrinam ampliationis applica alijs plurimis similibus.

893. His non obstantibus Moya *quæst.* 2. *num.* 2. cum Ovied. 1. 2. *tr.* 6. *Contr.* 5. arbitratu probabile esse, quod subsecuta copula ad turpiloquia, oscula

R. P. Karck, *Diff.*

& tactus, etsi sine intensione copulæ fuerint exerciti, non sit obligatio hos actus exprimendi, ultra Confessionem copulæ. Probat oscula, & tactus magis natura sua ordinantur ad copulam sequentem, quam ad præteritâ, imò ad hanc ordinari negant plures, & tamè actus præfati hanc subsecuti non sunt ex obligatione declarandi, nec faciunt peccatum moraliter distinctum à copula, ergo etsi ijdem actus ex operantis intentione non ordinentur ad copulam, sed velit in eorum delectatione sistere, non faciunt peccatum diversum, nec sunt ex necessitate explicandi, consequentia urgetur, quod, sive antecedant, sive sequantur copulam, ad hanc natura sua referuntur, ergo retinent eandem intrinsecam malitiam, quam non immutat intentio operantis ijsdem extrinseca, unde non est verum, quod, dum operans vult in illis sistere, habeant malitiam specie diversam à copula, sed est eadem, cum illa, quæ inest eisdem, dum ordinantur ab operante ad copulam, quia ordinatio hæc extrinseca non est diversa speciei à relatione intrinseca, quam actus illi à natura habent ad copulam, ita Moya pluribus prosequens istud argumentum contra Lug. *num.* 556. contendentem amplexus, & tactus in malitia specie distingui, dum operans intendit sistere in eorum delectatione, à malitia, quam habent, dum ordinantur ad copulam; Sanch. *lib.* 9. *de Matr. D.* 46. *num.* 7. favet sententia Moyanæ ita loquens, *amplexus & oscula ob delectationem habita suapte natura, & intrinsece ordinantur ad copulam tanquam circumstantia illius, at circumstantia intrinseca actus participant eandem*

O 000

ipf.

ipsum malitiam &c. Quare talis delictatio est inchoatio carnalis copula. Unde tactus dicuntur inchoata fornicatio, Vasq. n. 33. Ratio allata videtur efficaciter ostendere probabilitatem, quam & ergo agnosco.

894. Pars 3. Conclusionis assertæ num. 891. de actibus non subordinatis sive in idem, sive in diversum objectum tendentibus, probatur: si tendant in objecta diversa, sicut hæc nullam habent unitatem, ita actus invicem non faciunt moraliter quid unum: ut si fornicaris nunc cum hac, nunc cum illa: detrahis nunc Petro, nunc Paulo: percutis jam Titium, jam Cajum, & sic de alijs similibus: idque verum est, quantumvis actiones multiplicatae dependant ab eadem voluntate fornicandi, vel detrahendi, vel percutiendi. In his Exemplis multiplicantur actus externi, & objecta.

Si verò actus externi diversi non subordinati se occupent circa idem objectum, proinde multiplicentur actus, sed non objectum ut si ex eodem actu libidinis te pluries polluas, aut cum eadem femina plures habeas copulas; in hoc casu, & similibus plurimis non obstante unitate objecti circa quod, & intentione, tot committis numero peccata, quot pollutiones, aut copulas patrasti; quia quævis ex his actionibus est completa, & totalis non ordinabilis ad faciendum moraliter unum cum altera, nec censetur unicus moraliter congressus.

Ob rationem proximam partis tertie, judico probabilius cum communione sententia, quod Confessarius tot com-

mittat peccata mortalia, quot in statu peccati mortalis non contritus absolvit penitentes etiam in eadem sessione. Idem dicerem de distribuyente Sacras parcelas, si distributio in peccato mortali, foret mortalis, censeo autem cum Vasq. non esse lethalem, quia non est actio consecratoria Sacramenti. Ratio est, quod quævis Confessio, & perrectio Hostiæ sit actio totalis.

Dices ergo etiam quævis contumelia, blasphemia, percussio, ejusdem, etsi continuata est novum peccatum, quia quævis est actio completa; vel si completio non obstat, quo minus faciant unitatem moralem numericam propter unitatem intentionis, etiam pollutiones continuatae, aut copulæ cum eadem ex eodem libidinoso animo pendentes constituent unicum moraliter peccatum. Conf. copula, esto sit actio totalis, non obstat totalitas illius, nè cum subsequis amplexibus, & tactibus componat unicam moralem actionem, ergo etiam non impedit, quo minus copula nova secuta ex eadem prævia intentione cum eadem femina, sit moraliter unica ex physice duabus conflata, consequentia hæc valde videtur urgere teste Moya *quest. 3. num. 7.* quia si secunda copula est idem peccatum cum osculis præcedentibus, & hæc eadem oscula idem cum prima copula, quam subsequuntur, etiam copula prima, & secunda moraliter sunt idem peccatum, sunt enim eadem in uno tertio, nempe in osculis &c. subsequis ad primam, & præcedentibus secundam. Argumentum istud est Zanardi, & plurimum apud Moya *cit. qu. 3.* docentium plures copulas cum eadem, aut diversis eadem in-

sentione decretas esse unicam numero peccatum.

Resp. Hic disparitatem meliorem dari non posse, nisi ex prudenti virorum iudicio, ab hoc enim relatè ad forum Sacramentale ex Christi institutione videtur pendere unitas moralis per dicta num. 887. hanc unitatem agnoscunt plerique AA. in exemplis in nos à parte adversa re-tortis, omnes enim contumeliæ, blas-phemix, percussiones, habent eundem moraliter effectum, nempe jacturam honoris, & damni. Oppositum autem sentiunt de pollutionibus, copulis &c.

constanter negantibus ex ijs moraliter conflare unicam actionem.

Ad Conf. Resp. Cum' amplexus, & oscula sint non solum prævia, sed etiam subsequa ad copulam, habent du-plex munus; nempe quod prævia dispo-nant ad copulam, & subsequa eandem compleant, idcirco etiam subsequa sunt moraliter unica actio cum copula, copu-la autem secunda non est comple-mentum primæ.

**

*



§. III.

De numerica peccatorum distinctione actuum interno-rum circa idem objectum.

895. **D**ico actus internos circa idem objectum sæpius interruptos et repetitos esse unicum numero pecca-tum duntaxat tunc, quando interruptio non fit per formalem, sive expressam, aut virtualem retractationem, aut per vo-luntariam cessationem ab actu, nec di-stantia unius actus ab alio in prudentum estimatione censetur notabilis, seu suffi-ciens ad destruendam moralem unitatem in actibus successivè repetitis ita Moya p. 1. in *Select. qq. tract. 3. D. 2. qu. 1. §. 2. num. 13. & 15.* Contra Suarez, Vasq. Ratio totius Conclusionis con-stans tribus partibus est, quod, nisi

interveniat formalis, aut virtualis prio-ris pravæ voluntatis retractatio, aut spontanea cessatio ab illa, aut notabiliter non distet à sequente censeatur unicus moraliter congressus cum objecto.

Porrò regula ad formandum pru-dens iudicium melior dari non potest, quam ex proportione ad peccata externa: sicut ergo horum numerica distinctio, aut unitas moralis in prudentum iudicio formando dependet ex varijs circum-stantijs, & pro diversitate materiæ nunc major, nunc minor interruptio, ac di-stantia requiritur, ut actus externi in esse peccati plurificentur, ita est atten-

tendum ad varias circumstantias, ac diversitatem materiae, ut actus interni circa idem objectum repetiti censeantur facere unum, aut plura numero peccata.

896. Dixi in Conclusionem circa idem objectum, quia actus interni tendentes in objecta distincta non subordinata multiplicantur numericè in esse peccati pro multiplicitate objectorum non minus quàm multiplicari diximus actus externos. Unde certum est, quod etsi unico tractu concupiscas nunc hanc, nunc illam fœminam, tot numero peccatorum sis reus, quot fœminas concupivisti. E contra concipis desiderium copulae cum hac determinata, illud saepe renovas, unicum facis peccatum etsi inter unum, & alterum desiderium interveniat interruptio per distractionem, aut naturalem oblivionem, aut modicum somnum, dummodo non sit notabilis interruptio, censetur enim unicus cum tali objecto congressus, etsi dureret per plures continuatas horas, Lugo de Pœnit. D. 16. num. 569. subdens num. seq. quod quando est longior mora, facilius sit moralis interruptio, idcirco consulit in Confessione explicari majorem, aut minorem pravi affectus durationem de qua tamen, inquit, regulariter non est interrogandus pœnitens, quando ipsemet exprimit peccatorum numerum.

Quod si autem affectus interrumpatur per spontaneam cessationem ab ejus continuatione citra tamen ejusdem revocationem, est omnino novum peccatum renovatio affectus, quia existima-

tur novus cum objecto congressus, sicut, si postquam contumelijs affecisti proximum, spontè cessasti jacere in eum contumelias, si postea tibi idem occurrat, & contumelias renovas, peccas distincto moraliter peccato.

Nihilominus Lugo num. 551. apud Moya num. 23. putat illum, qui sub finem prandij die Jejunij decrevisset non plus edere, at, priusquam surgeret, ferulum novum afferretur id comedentem contra factum propositum, non censeri moraliter bis comedere, proinde, si talis die prohibito carnes ederet, unicum peccatum patreret, ac si per voluntatem contrariam non fuisset interrupta comestio.

Hanc Doctrinam ut valde notandam inculcat Moya, quia est singularis, & usus frequenter occurrens, eamque Lugo num. 552. extendit primò ad cessantem à percussione animo his finem imponendi, at quia videt percussum adhuc sibi repugnantem, statim bis, aut ter denuo ictus resumentem.

Secundò, ad omittentem restituere, qui continuando omissionem unicum moraliter facit peccatum, licet interrumpat per propositum restituendi, si statim mutato animo velit retinere, consentit Sporer Theol. Moral. tract. 4. cap. 3. num. 131. fuscè urgens hanc peccati unitatem. Ergò pariter est unica moraliter contumelia etsi contumeliosus desistat animo ultra non convitiandi, si mox, aut paulo post mutato animo resumat contumelias. Ut ergo spontanea cessatio plurificet peccata, postuletur longior mora inter unam, & alteram.

897. Hæc licet probabiliter statuatur, verius tamen est oppositum, quando interruptio etiam modica fit per contrariam voluntatem, nempe per propositum restituendi, aut cessandi à percussione, contumelia &c. quia per talem voluntatem præteritum peccatum interruptitur in esse peccati actualis, siquidem non manet formaliter, sive in se, nec virtualiter, sive in effectu liberè continuato, Lugo *num.* 549. cujus Doctrinam Soarez *de Pœnit. D.* 22. *S.* 5. *num.* 31. Vasq. *in 3. p. quest.* 91. *a. 1. dub.* 5. *num.* 20. *juncto.* 23. (idem tamen *n.* 18. omissionem restitutionis arbitratur esse unicam peccatum) ampliant ad casum, quo fit interruptio per

sonnum, distractionem, vel impotentiam restituendi. Verum per hæc tria non tolli unitatem moralem probabiliter tradit Lugo. dans disparitatem *num.* 550. quod ista non tollant moralem prioris voluntatis perseverantiam, sicut tollit contrarium propositum, si enim accendas domum proximi, etsi post applicatum ignem indormias, aut distraheris loquendo cum famulo, aut fias impotens extinguendi attamen si reversus augeas incendium, non censeris novum committere peccatum, ergo nec in alijs similibus.

* *

§. IV.

An actus unicus in plura ejusdem rationis objecta tendens sit unicum aut multiplex numero peccatum,

& quomodo exponendum Confessario.

898. **V**Nicâ contumeliâ, detractione, actione occisivâ plures inhonoras, pluribus detrahis, plures occidis unico consilio plures inducis ad peccandum. Idem est de actu interno, ut si unicâ voluntate intendas plures inhonorare, pluribus famam tollere, plures necidare.

Quæstio Celebris oritur, an ejusmodi actio unica externa aut interna, tot

numero peccata, aut saltem malitias contineat, quot sunt personæ, quas habet pro objecto, vel verò sit unicum numero peccatum.

Pro numerica personarum distinctione multiplicari peccata, aut saltem malitias in eodem physicè actu docet Vasq. *3. p. q.* 91. *Art. 1. dub.* 4. *n.* 4. hic tamen *1. 2. D.* 74. *n.* 7. fatetur in rigore esse unicam numero peccatum, esto plures

nume-

numero malitias invicem compatibles admittat.

Pro unitate numerica peccati pugnat Soarez *to. 4. de Pœnit. D. 22. S. 5. num. 34.* ex hoc principio *to. 5. de Censur. D. 5. S. 3. num. 8.* colligit iudicem probabiliter unicam incursum censuram Excommunicationis, si simul duos reos unum dexterâ, alterum manu sinistra extraheret ex Ecclesia, aut qui uno ritu duos occideret Clericos, aut loqueretur cum duobus Excommunicatis. At *num. 12.* tuetur ut securius, ac probabilius duplicem contracturum Excommunicationem. Eandem sequuntur multi apud Moya *p. 1. select. qq. tr. 3. D. 2. q. 4. §. 1.* quia tamen secundum omnes notabiliter aggravatur malitia, & quidem eo amplius, quò plura sunt objecta, in quæ tendit actus peccaminosus, obligat ad explicandam hanc gravitatem, nam docet esse obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, proinde numerum personarum, à qua obligatione liberant AA. non agnoscunt onus explicandi aggravantes circumstantias.

899. Resp. Actio interna, aut voluntas interna terminata ad plura objecta ejusdem rationis, seu personas, prout hæc non sunt communitas, sed capita diversa esse quidem unicum peccatum in rigore Metaphysico (hic rigor non impedit, quò minùs plura moraliter dici queant peccata, quia perinde se habet talis actus in morali iudicio, ac si tot forent distincta physice peccata) tot tamen numero malitias continere, quot sunt personæ ejusdem rationis, ad quos terminatur, ita Moya §. 3. *num. 6.* Ratio unicitatis peccati est, quod peccatum sit conereturum accidenta-

le immultiplicabile non multiplicato subiecto juxta Dialecticos, quale subiectum hic est actus, qui supponitur esse unicus, nec evadit multiplex pro multiplicatione malitiæ, quæ est forma accidentalis, sicut artifex est unus, Dominus est unus, & unus Pater licet plures artes, plures subditos, plures filios numeret.

Ratio multiplicatis maliciarum est à paritate multiplicis malitiæ speciei, cujus est capax actus, ergo etiam est capax multiplicatis numerica; tam antecedens, quam consequens est ostensura à *num. 570.*

Dixi in Responso prout hæc non sunt communitas, quia quando actio, aut voluntas est læsiva juris, quod non inest singulis, sed prout communitatem componentibus, uti fit in jure Capituli, aut civitatis, quod habet ad eligendum, vel nominandum, vel contrahendum, aut vendendum, tunc actio injustè impediens electionem, nominationem &c. est peccatum continens unicam malitiam, estque peccatum unicum moraliter, quia est læsio unius juris tantum & unicum infert damnum.

Econtrà infamans integram familiam, sive sæcularem, sive Religiosam infamiâ suâ tangit communitatem, non ut communitas est propriè, & per se loquendo, sed singulos de familia, quia hæc non aliter inficit infamia, nisi quatenus singuli inficiuntur, & singulis inest jus proprium ad famam. Et ideo infamiâ ejusmodi etsi physice unica, ac in rigore metaphysico sit peccatum unicum, moraliter tamen tot numero malitias, imò peccata includit, quot sunt personæ illius familia.

900. Si dicas detrahens nescit, quot sint personæ, ergo detrahitio non continet plures numero malitias, quia personarum numerum determinare non potest consequenter nec malitiarum. Rep. cum Dicastill. de Pœnit. D. 9. num. 253. non scire determinatè, habere tamen in cognitione numerum tantum, vel tantum plus, minusvè, atque adeo cognoscere, quod sit morale periculum infamandi e. g. 30. personas circiter, quæ cognitione stante actus infamans continet malitias 30. etsi desit certa cognitio de 30. sufficit enim quod prudenter timeat posse eò numerum personarum pertingere, vel quod saltem dubitativè concipiat posse fors venire usque ad tantum numerum, jam enim cogoscitur periculum infamandi tot.

Ex tactis nostris principijs sequitur, quod voluntas omittendi Breviatium toto anno, jejunium quadragesimale, furandi decem personis, &c. contineat tot numero malitias, & peccata non physicè, sed moraliter distincta, quot sunt dies in anno, in quadragesima demptis Dominicis, & homines quibus vult furari, Breviatium enim unius diei non coalescit in unum cum Breviario alterius, nec jejunium diei hodierni cum crastino, nec jus unius furto læsum est moraliter unum cum jure alterius.

Sequitur 2. quod si se polluens imaginetur plures fœminas, aut de pluribus commissis peccatis deleteretur, &c. tot vitio contra naturam adjiciat malitias, quot sunt fœminæ per imaginationem propositæ, quæ si sunt ejusdem statûs, adjunctæ malitiæ erunt numericè distinctæ,

specificè verò, si habent statum diversum e. g. una sit soluta altera conjugata.

Sequitur 3. quando duo conjugati adulterantur nimirum vir conjugatus cum uxorata, adulterium tale includit duo numero moraliter distincta peccata, nam uterque lædit duplex jus, vir uxoris suæ, uxorata verò sui viri inò Lugo num. 140. vult ejusmodi adulterium specie distingui ab adulterio (extendit ad casum, quo duo voto castitatis obstricti peccant, hoc sacrilegium judicat specie esse aliud ab eo, quod committitur, dum unus tantum est voto ligatus) in quo unus complex est conjugatus, sed hoc non credo cum jura duorum conjugum innocentum, quæ læduntur, non differant specie. Vide num. 571. ubi assignavi principium in concursu plurium malitiarum, ex quo valeat dignosci, quando una illarum augeat duntaxat malitiam intra eandem speciem; quando numero distinctam constituunt.

901. Quæ an sit necessaria quoad praxim notitiâ, utrum actus externus, aut internus habens pro objecto plures personas, de quo disserimus in hoc §. sit unum, aut plura moraliter peccata, aut saltem contineat plures numero malitias, secundò quomodo tale peccatum sit aperiendum in confessione.

Quoad primum audacter more suo negat Vincentius Baronius apud Moya q. 5. §. 1. dicens convenire in hoc omnes cum tamen plurimi dissentiant inter se, nam cum ex principijs S. Th. Thomistæ apud Moya q. 4. §. 3. num. 5. tradant repugnare pluralitatem malitiarum in eodem actu, hi consequenter negant obligationem

tionem explicandi numerum personarum, quibus actione unica, aut voluntate est illata injuria, aut intendebatur inferenda, hæc illatio est legitima ex dicto principio teste Oviedo 1. 2. tr. 6. de peccatis controu. 5. p. 6. nu. 122. & seqq. Vasq. cit. dub. 4. num. 8. Econtra Soares, etsi neget pluralitatem malitiarum in uno actu numericam, attamen onerat pœnitentem ad explicandum numerum personarum juxta suam sententiam, quæ vult exponendas esse circumstantias, etiam notabiliter aggravantes; Vasq. verò in hac sententia rectius non agnoscit hoc onus, at bene juxta opinionem quam cum ipso tuemur tot numero malitijs, quot personis ejusdem conditionis actio unica nocuit, aut voluntas nocere intendit.

Imò plures AA. nobiscum concedentes multiplicari malitias numericas deobligant ad exprimendum numerum personarum omnium, ira Lugo nu. 134. 135. 139. 141. Tamb. exped. Confess. Lib. 2. c. 1. §. 9. num. 59. quorum ratio est, quod plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu unicum tantum numero peccatum consent per nu. 899. præceptum autem confessionis obliget duntaxat confiteri species, & numerum peccatorum, non malitiarum, de hoc enim non reperitur præceptum, non enim præcipitur confessio totius malitiæ individualis ut fatentur omnes deobligantes à confessione circumstantiarum aggravantium, numericæ autem malitiæ in eodem actu peccata non multiplicant, sed solùm aggravant intra eandem speciem, aliunde juxta Philosophiam veriorum species est tota essentia Metaphysica

individui, ergo clara explicatio speciei peccati explicatur totum peccato individuum quoad suam essentiam.

Verum cit. Moya num. 9. & 10. ex praxi fidelium, & consensu Theologorum persuasus onerat pœnitentes ad expressionem numeri objectorum, aut personarum, quarum quavis ad peccatum grave sufficeret: consensum Theologorum ostendit etsi diversis principijs innitentium; primò illorum, qui concedunt multiplicari malitias, vel peccata in uno actu; Secundò contententium explicandas esse circumstantias notabiliter aggravantes: Tertiò, volentium tot reperiri in illo actu consummationes peccati, quot sunt personæ læsæ. Quarto plurimum Thomist. cum Bannez, quia etsi negent pluralitatem malitiarum, & peccatorum formaliter, ajunt tamen illud unum equivalere pluribus. Ex his patet Responsio ad 1. quæsitum nempe multum conducere ad praxim Confessarij, ac pœnitentium scire an sint, vel non sint in uno actu plures malitiæ, aut peccata habente pro materia plura objecta, aut personas.

902. Nunc ad Quæst. 2. de modo confitendi tale peccatum. Resp. 1. Volentem uno actu fornicari cum decem, aut totidem occidere, aut dantem decem personis suo exemplo scandalum, invalidè confiteri se accusando, quod voluerit semel fornicari, semel occidere, semel scandalizaverit proximum, quia ex communi usu significat fornicationem cum unica, occisionem unius, & scandalum uni datum, hoc autem est falsum & quidem in materia gravi, ergo graviter decipit Confessarium dum non exponit individuum

viduum moraliter totum quoad substantiam ab eo commissum, sed tale, quale non commisit, sic autem confessionem invalidat, nisi error invincibilis excuset.

Resp. 2. Non exigi expressionem distinctam numeri personarum, aut obsectorum, ac bene est exprimenda in confuso pluralitas e. g. in allatis exemplis:

femel intendi cum pluribus; solutis fornicari; femel volui plures occidere; femel pluribus dedi scandalum in materia gravi directè, aut indirectè, ita Cc. Lugo, Tambur. Ratio est, quia tota species peccati cum suo individuo exponitur omisâ solum circumstantiâ aggravante quam debere confiteri probabilior negat opinio.



§. V.

Particulæ plus, minusvè, aut circiter quantum numerum significant; & qualiter peccator in habituatus confiteri debeat? Ubi deciditur, an peccata confessa dubia mortalia, se postea occurrant, ut certa, debeant confiteri?

903. **E**T si ad valorem confessionis necesse non sit numerum peccatorum Mathematicè determinare, certum tamen est, quod poenitens sciens numerum certum debeat eum definire coram Confessario, ut si scit se decies pejerasse, citra mortale nequit confiteri disjunctivè dicendo: *decies, plus, minusvè, aut circiter* pejeravi. Verum quia etiam post diligens examen sæpe non post certus numerus iniri, sed verosimilis seu circiter tantus e. g. denarius idcirco ad hanc vero similitudinem, ac incertitudinem conscientia explicandam utimur particulis, *circiter, aut plus minusvè.*

Difficultas est, quid hæ particulae significant, id est, ad quantum nume-

R. P. Karch. Diss.

rum se extendant per excessum, aut defectum ly enim *plus* addit, ly *minus* demit, ly *circiter* utrumque indicat, ut si confitearis, pejeravi decies circiter, vel plus minusvè, communiter concedunt Theologi, quod addant quintam partem numeri denarij, aut demant, proinde octo certè peccata hoc modo confitendi ajunt subjici, quatuor verò dubiè, nempe duo per defectum, & totidem per excessum, consequenter comprehendi numerum 12, aut juxta alios etiam numerum 13. idcirco, si postea certo deprehendas te pejerasse duodecies, non teneri, id confiteri juxta sententiam negantem, quod peccata dubiè confessa postea occurrentia ut certa sint iteratò consistenda, oppositum dicas

Pppp

secun-

secundum affirmantem, quam veriorē, ac securiorem sentio.

Volunt autem Theologi, ut quò major fuerit numerus peccatorum, cui adjiciuntur dictæ particulae, tantò etiam major numerus poterit sub iisdem comprehendendi, sic est parvus excessus, respectu 5. aut 6. peccatum unum, respectu decem duo, respectu 20. tria, respectu 40. aut 50. quatuor, respectu centum, quinque, aut sex. Verùm hic certam, Regulam dari non posse, est communis Theologorum sensus apud Lugo *de Pœnit. D. 16. num. 96.* Unde existimo cum Vasq. *in 3. p. q. 91. Art. 1. dub. 6.* arbitrio prudentis relinquendum esse juxta peccatorum summam, cui illa verba: *plus, minusve*, adjiciuntur. Plura legere potes apud Dicastill. *de Pœnit. D. 9. a num. 113.* Hæc quoad primam partem præsentis §.

904. Transeo ad secundam. Peccator habitualis, ut meretrix Concubinarius, Usurarius, furans obvia &c. speciem peccatorum, & numerum ignorans non satisfacit explicando tempus, quanto lapsus frequentati sunt contra canum, hoc enim est nimis laxum. Non etiam requiritur expressio specierum, dum est impossibilis, utpote ignota, sed viâ mediâ tenenda est, nimirum ut dicat statum suum, vivendi modum, occasionum frequentiam, aut raritatem intra diem, vel hebdomadam, & principales peccatorum species memoria retentas v. g. meretrix confiteatur sic: integro anno meretricatum exercui, habui intra diem toties *plus, minusve* occasionem peccandi, & inter eas occasiones erant omni hebdomadâ cum conjugatis circiter *terna*, cum

voto ligatis totidem Lugo *num. 573.* Vasq. *dub. 5. num. 3.* Soarez *de Pœnit. D. 22. S. 5. num. 39.* Concubinarius, fur &c. Ignorans numerum sic se accuset: convixi puellæ velut uxori per decennium, cum ea peccando circiter bis, terve de die: triennio obvia quæque sum furatus, & quidem quovis mente circiter ter, aut quater res gravis momenti, res verò sacras, aut non sacras de loco sacro pretij notabilis intra annum bis.

Uterque cit. Author notat, quod hujusmodi inhabituati non sint cogendi circa actus internos, aut dicant solitam frequentiam, & numerum intra diem, aut septimanam, quia sine magno erroris periculo per excessum, aut defectum nequeunt numerum exprimere: debent tamen confiteri sic e. g. per annum passim concupivi obvias, & quidem frequenter, aut raro conjugatos, cognatos, aut voto ligatos, &c.

905. Hinc nascitur difficultas nova, an pœnitens præfato modo confuse confitens species & numerum peccatorum teneatur postea distinctius confiteri recordans magis distinctè specierum, & numeri,

Negat Vasq. cit. Lugo autem *n. 585.* vult affirmativam tenendam ab omnibus obligantibus ad confessionem peccati occurrentis ut certi, antea confessi ut dubij. Unde rusticus grosso, ac rudi modo confitens indocto Parocho bonâ fide sine numero, obligatur postmodum distinctius si potest, factas sic confessiones repetere, quia sic confitens absque expresso determinato numero plura comprehendit sub aliquo dubio.

Hinc

Hinc autem sequitur, quod Confessarius doctus advertens ejusmodi defectum debeat illum juvare ad numerum peccatorum hoc modo extorquendum etiam circa vitam præteritam, siquidem juxta hanc sententiam ipse rusticus deberet hunc numerum exprimere, si adverteret se facile suâ industria posse hunc iniire, quapropter confessiones ruditer factæ essent repetendæ ita Lugo.

906. Caterum ipse Lugo à nu. 78. multis arguit pro sententia negante obligationem confitendi peccatum occurrens ut certum, postquam est semel confessum ut dubium, additque num. 92. negativam sententiam visam valdè probabile Nicolao Richardio sacri Palatii Magistro, tamen sequitur affirmativam, quam omnes usque ad id tempus secuti, at postea plures sunt amplexi negativam, inter quos Tambur. *Exped. Confess. lib. 2. c. 1. num. 24.* Pelliz ro. 2. *Manual. Regular. tr. 10. c. 10. num. 198.* Juxta hanc sententiam teste Lugo num. 588. probabiliter cessat obligatio confitendi sic quoad numerum confuse confusa, secus si prior confessio fuerit confusa quoad speciem e. g. si quis confessus sit se mortaliter deliquisse contra castitatem non recordari tamen, an cum soluta, vel ligata, postea resciscens quod cum libera, debet, inquit, secundum omnes speciem exprimere, quia sic confitens non est directè absolutus à differentia specifica peccati contra castitatem.

Contra hanc doctrinam P. Moya in *selecl. tr. 3. D. 4. q. 2. num. 2.* arguit Lugonem in consequentiâ, eò quod nullum sit discrimen, inter dubium de individuo peccati, & dubium de specie pec-

cati, nam ideo secundum Lugo non est obligatio confitendi numerum certum, quia ab hoc directè est absolutus, idque ex eo, quod absolvatur sub conditione, quod sit commissum, ergo etiam cadit directè absolutio supra speciem dictam in confessione sub dubio, seu ut dubiam, quia absolvitur ab illa sub conditione, quod illam commiserit.

Hinc P. Bresserus *de Consc. lib. 9. c. 18. num. 197.* putat in utroque casu probabiliter procedere sententiam Lugo, eamque est amplexus Patrit. Sporer *de Sacram. Pœnit. c. 3. n. 454.*

907. Nunc ad difficultatem num. 905. Resp. 1. peccatorem habitualement, qui confuse bona fide est sua peccata confessus si postea occurrat magis distinctè, ac certò, obligari ad eadem distinctè, ac ut certa confiteri non solum in sententia negante præceptum confitendi peccata dubia, sed etiam probabiliter in affirmante nos obligari ad confessionem dubiorum mortalium.

Pars prior est certissima, quia in hac sententia confessione peccatorum dubiorum mortalium nunquam impletur præceptum confitendi peccata mortalia, siquidem dubia ut talia juxta eam non sunt materia præcepti sed duntaxat peccatum certum, ergo hoc ut tale postea occurrens debet confiteri, sed confitens peccata mortalia confuse confitetur eadem saltem aliqua dubiè, ergo eadem postea occurrentia distinctè, ac ut certa tenetur confiteri.

Ante probationem partis posterioris adverte duas esse Sacerdoti datas claves ex *Trid. Sess. 14. c. 8. de Sacram. Pœnit.* unam ad *solvendum*, alteram ad *li-*

Pppp 2

gan-

gandum; hæc secunda clavis est concessa ad imponendam satisfactionem non solum ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum criminum vindictam, quæ imponi debet pro qualitate criminum, & servanda æquitate in pœnis injungendis: Non est autem æquitas, si peccatum dubium pari panâ cum peccato certo castigetur, Confessio enim peccati ut certi practicè variat judicium Confessarij relatè ad secundam clavem, sive potestatem imponendi pœnam. E contra, inquit, Cardenas *Crisis Theolog. D. 51. nu. 36.* dum quis plura ejusdem speciei peccata subicit clavibus omisso bonâ fide seu insufficienter uno, alterovè non variatur judicium præfarum Confessario, nam eadem pœna imponitur à Confessario sive e.g. perjuriam fuerint decem, sive undecim, esto realiter pejerans undecies, dignus sit majori reatu, quàm pejerans decies, quia propter obscuritatem dignoscendi quantitatem pœnæ secundum estimationem eandem condignitatem practicam pœnæ sortiuntur undecim, ac decem perjuriam.

Ex hoc Capite *num. 37.* dat disparitatem cur confitens dubiè numerum e.g. pejeravi decies *plus minusvè*, non teneatur postea confiteri undecimum, aut etiam duodecimum, esto occurrat ut certum, teneatur verò confitens speciem peccati sub dubio postea confiteri ut certam, si occurrat; nimirum quod confitens unum, aut duo peccata ejusdem speciei dubiè exposita, sufficienter subjecerit illa secundæ clavi cum practicè non

mereantur puniri majori pœnâ, eò quod non sit facile discernibilis modo humano practica majoritas pœnæ designandæ perjurij undecim, aut duodecim, quàm decem: è contra sit discernibilis, quando magnus numerus peccatorum ut dubius est expositus, & postea constat certò, vel quando nova peccati species ut dubia est subiecta, hæc valde, ac practicè immutat judicium Confessarij, & ideo debet subijci secundæ clavi, ut Confessarius æquitatem in pœna imponenda pro qualitate criminis juxta Trid. servare possit.

908. Jam probatur etiam pars posterior responsi primi: quamdiu præceptum confitendi peccata mortalia non est adæquatè impletum, tamdiu est obligatio illa confitendi, sed Confessione peccatorum confusè, & sub dubio facta non est impletum adæquatè præceptum confitendi peccata mortalia, ergo est obligatio eadem confitendi, videlicet postea occurrentia distinctè, & ut certa. Minor probatur, quamdiu peccata non ita exponuntur ut judex hujus fori cum cognitione causæ possit taxare pœnam pro qualitate criminum servando æquitatem, tamdiu non est adæquatè impletum præceptum confitendi peccata mortalia (Christus enim præcepit, uti patet ex declaratione Trid. Confessionem talem, vi cujus Judex cognoscat causam, ac juxta qualitatem criminum servata æquitate injungat pœnam) atqui Confessione peccatorum confusè, ac sub dubio facta non ita exponuntur peccata, ut Judex fori hujus cum cognitione causæ possit taxare pœnam pro qualitate criminum

ser-

servando æquitatem, siquidem ut præmissum est, qualitas criminis certi notabiliter variat iudicium Confessarij ad taxandam pro eo longè majorem pœnam, quam taxetur pro eodem ut dubio.

Hæc ratio evincit obligationem confitendi peccata occurrentia ut certa non solum, quandò eorum numerus est magnus, sed etiam parvus, videlicet si quis Confessus sit se pejerasse circiter decies, si postea cognoscat se pejerasse undecies, debet hoc undecimum perjurium confiteri, quia secundæ clavi, seu potestati ligandi nondum est sufficienter subiectum juxta *num.* 907. in quo Cardenas, ut ostendat probabilitatem opinionis gravissimorû AA. Soarez. Vasq. Granad. Coninch. &c. asserentium eum qui bonâ fide se accusavit circiter decem perjuriarum, non obligati postea confiteri undecimum, aut etiam duodecimum etsi occurrant ut certum eò quod iste parvus excessus numeri intelligatur inclusus in Confessione majoris Confessi, ut, inquam, Cardenas ostendat dictos AA. non improbabiliter sentire, in eorum gratiam ejus discursus factus est ab eodem, Caterum nobiscum tenet *num.* 39. Dicastill. & alij.

909. Resp. 2. Ad difficultatem *num.* 905. nihilominus rudem e. g. rusticum confusè solutum indocto suo Parocho confiteri, postea à Docto Confessario non esse cogendum ad repetendas Confessiones præteritas, ita plures apud Lugo *num.* 577. quos sequitur cit. Moya, quia rustici cum communiter vivant uni-

formiter, ex Confessione unius hebdomadæ, mensis aut anni quoad speciem, & numerum facillè prudens Confessarius conjicit, quot numero peccata, & quibus in speciebus peccarit annis prioribus. Addit tamen esse omninò repetendas Confessiones ab eo, si de hujus vita præterita prudenter non posset formari iudicium ex Confessione præsentis.

Item cum quavis species, & numerus debet directè subjici clavibus, rusticus autem illum probabilem numerum, & species peccatorum, quas Confessarius doctus colligit ex præsentis Confessione, nunquam saltem sub certitudine subjecit clavibus, debet à Confessario moneri, ut se accuset sic: accuso me de omnibus peccatis vitæ meæ commissis, quorum me rerum esse prudenter deduci potest ex præsentis meæ Confessione hæc enim accusatio respectu Confessarij in his circumstantijs non est accusatio merè generica, sed exprimit verosimilem numerum, & species præteritorum in homine uniformis vitæ, ita judico salvo meliore aliorum iudicio, nam hanc monitionem apud Authores non reperio.

Omnia actuum humanorum principia discussimus exceptis duobus extrinsecis, quorum unum est nobis intrinsecum, nimirum conscientia, alterum nobis extrinsecum videlicet lex. Promisi in ingressu hujus operis me etiam examinaturum actus humanos relatè ad hæc principia, proinde tractaturum etiam de conscien-

tia, atque legibus. Verum cogor hic
fistere ex duplici causa; prior est,
quod moles operis in folio quarto ni-
mis crassa evaderet; posterior quod
contra meam intentionem nimis tardè
typus operis in lucem prodiret. His
de causis calamum suspendo, finem

que actibus humanis impono, quos
si triveris, advertere potes, quod ti-
tulus iisdem in frontispicio præ-
fixus à vero non de-
flectat.

**
*

Omnia ad majorem DEI gloriam.



IN-